

DESIDERII SPRETI  
RAVENNATIS  
LIBRI III.

- I. De amplitudine.
- II. De vastatione.
- III. De instauratione

VRBIS RAVENNAE.

Ad Serenissimum Principem

FRANCISCVM MARIAM  
FELTRIVM DE RVVERE,  
VRBINI &c. DVCEM  
AMPLISSIMVM.



VENETIIS, Ex Typographia Guerræa.  
M D LXXXVIII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY



1911  
1912  
1913  
1914  
1915  
1916  
1917  
1918  
1919  
1920  
1921  
1922  
1923  
1924  
1925  
1926  
1927  
1928  
1929  
1930  
1931  
1932  
1933  
1934  
1935  
1936  
1937  
1938  
1939  
1940  
1941  
1942  
1943  
1944  
1945  
1946  
1947  
1948  
1949  
1950  
1951  
1952  
1953  
1954  
1955  
1956  
1957  
1958  
1959  
1960  
1961  
1962  
1963  
1964  
1965  
1966  
1967  
1968  
1969  
1970  
1971  
1972  
1973  
1974  
1975  
1976  
1977  
1978  
1979  
1980  
1981  
1982  
1983  
1984  
1985  
1986  
1987  
1988  
1989  
1990  
1991  
1992  
1993  
1994  
1995  
1996  
1997  
1998  
1999  
2000  
2001  
2002  
2003  
2004  
2005  
2006  
2007  
2008  
2009  
2010  
2011  
2012  
2013  
2014  
2015  
2016  
2017  
2018  
2019  
2020  
2021  
2022  
2023  
2024  
2025





SERENISS. PRINCIPI  
FRANCISCOMARIAE FELTRIO  
DE R V V E R E, V R B I N I &c.  
Duci amplifs. Domino suo colendis.



CENTESIMVS iam agitur annus, cum *Desiderius Spretus* latino stylo de antiquitate, ac dignitate urbis *Raenna* scripsit, ut eam partem sui ortus patriae tribueret, quam ipsa sibi vendicarat. In quo munere ita diligenter, fideliterq. veritatem spectauit, ut omnes, qui deinceps de hac ciuitate scripserunt, tam externi, ut *Leander Albertus*, quam nostrates, inter quos fuit *Ioannes Petrus Ferretus* Episcopus *Lauellinus*, vir singulari doctrina, varijsq. litteris eruditus, & *Hieronymus Rubeus*; cui paucos, ne dicam paucissimos, hac tempestate doctrina praestantes cognoscimus; ipsius *Desiderij* scripta sint secuti: Ipseq. *Rubeus*, qui labore incredibili, & grauissima eruditione, latissime, ad haec nostra tempora, latine item scripsit de eadem re libros decem, non solum hac eum laude non defraudat, sed veridico, elegantissimoq. elogio praeclarissimis titulis extollit, atq. commendat: tantiq. illum facit, ut cum proximis diebus *Venetias* se contulisset, ut decem illas *Historiae suae Raennensis* libros, decem iam & septem annis *Venetijs* quoque impressos, & amplissimo, ac semper ab hac nostra Ciuitate, amabili, ac lacrymabili, *Augustissimo* Cardinali *Vrbiniatium*, Celsitudinis tuae paruo, dicatos, rursus prolo traderet, una cum *Appendice* posteriorum annorum, voluit etiam, rara,

Et planè honestissima nobilis animi, ac virtute præditi ingenuitate permotus, ut hoc Desiderij opus, ante prælo traheretur, edereturque, quam suum: Ausi autem sumus, ego, & Pomponius frater, necnon & Timotheus, ac Ioannes, qui omnes re. Et a linea ob ipso Desiderio ab auo nostro descendimus, Serenissimo Celsitudinis tuæ nomine hoc opus obsequare, atque illustrare, sperantes fore, ut quemadmodum summa tuorum maiorum in nostram familiam semper fuit benevolentia, ita tu quoque non dedigneris benigne, ac hilari vultu accipere eam significationem eiusdem cultus, quæ nunc præbetur hoc edendo libro: qui licet per se exiguus est, tamen cum maximam præ se ferat nostram, in celsitudinem tuam, obseruantiam, siq. eius auctoris, qui, ut dictum est, primus fuit, qui reuocauerit ex altissima obliuione, amplitudinem huius patriæ, & patefecerit ceteris aditum, qui post ipsum latius scripserunt, longe maiorem haberi posse existimamus. Ipse ergo a celsitudine tua summopere contendo, nostrum omnium nomine, ut hunc benigno vultu accipere ne dedignetur: idq. eo magis contendo, quòd propinquis his meis placuit, ut ego perinde ac grandiore inter ipsos ætate, & quia Roma, in istaq. felicissima Dititione tua, & alibi, in familia amplissimi ipsius Cardinalis benigne ab eo, amanterq. complexus, vixerim, hunc librum Celsitudini tuæ dicarem, ac dederem: Quòd libentissime facio, Deumq. opt. Max. rogo, ut omnia Celsitudini tuæ fortunet, ac feliciter vertat; Quòd & Spretorum omnis familia præcatur. Raucenna. Kal. Iunij. M D LXXXVIII.

*Celsitudinis tuæ Serenissima*

Humillimus seruus

Bonifacius Spretus.

BRUNI GIARDINI CIVIS,  
ET CANONICI RAVENNATIS.



*H*ISTORIA Spreti, tunc umbris condita, surgit  
Nunc lucem prabens cuilibet arte sua.  
Hanc omnes venerantur ubique, ut gramina Solem,  
Prouenit ex cuius lumine quisque vigor.

DONATI MONII TORNANIENSIS.



*Q*UID post funereos rogos  
Extentum Aeacide Magnanimo Duci  
Magno Anchysiada: fero  
Regi Threicio: Sisyphida: & Phrygi  
Acuum protulit Hectori?  
Quo nostra hec tetigit Gracia secula  
Bello lethifero insolens?  
Ad nos excidium quid lacrymabile  
Vrbis Dardania tulit?  
An non id calamo tu tribuas sacro  
Vatum, qui are perennius  
Ipsam perpetuo quod retulit, facit?  
At si que cecinit Maro,  
Et que Meonides, non lubricum teres  
Tempus: vita perennior  
Te Desiderio sit patria tua.  
Nec te ferre per arduos  
Astrorum celebrem fama beator  
Desistet vaga limites  
Nostri ingens decus, & gloria seculi.

FRANCISCI CAMERANI RAVENNATIS.



*V*T Spretas patria historias desideret omnis,  
Has Desiderius Spretus ubique legit:  
Munera quis Spreti spernat? spernendus at ille,  
Qui putes à Spreato spreta legenda dari.

Magnifico, ac Clarissimo domino  
NICOLA O FOSCARO  
PATRITIO VENETO,

Iacobus Franchus Rauennas. S. P. D.



**V**M eam historiam, Vir Magnifice, quam superioribus annis concius noster Desiderius Spretus vir, mea sententia, praeclarissimus, multaq; & doctrina, & scientia praeditus, de Vrbe nostra origine, ac de nonnullis eius gestis elegantissimo conscripsit: eius filius Ioannes Baptista Iureconsultus haud incelebris impr. mendam esset traditurus, me varijs alioquin, multiplicibsq; tum curis, tum etiam negocijs distretum, maximo studio rogauit, atq; adeo orauit, ut vellem prius hunc libellum diligenter recognoscere, deinde aliquando interesse, dum imprimeretur: nequaquam ignarus solere multa in libris ab impressoribus deprauari, immutari, corrupti, atq; inuerti. Quorum indiligentia non mediocrem Latina lingua afferri iacturam vti nam mea falso iactaret oratio. Homini ego amicissimo, quem vnicè diligere, cuiq; me carissimum esse sentirem, non potui quicquam denegare, praesertim iusta petenti. Itaq; eam historiam accurate recognoui: adhibito quantumcunq; in me est iudicio, intermissiq; interdum laboribus, et curis, quae assidue animum meum & fatigant, & impediunt: dabam operam, ut adesse castigatior, & eorum, quae imprimebantur recognitor nequaquam indiligens. Ergo cum iam esset ad cal. em operis ventum, cumq; labori suprema manus imposita; cepi egomet mecum cogitare, vnaq; Ioannes Baptista, cui nam potissimum ex amicis hunc librum mitte cuius legendum, cui futurus esset non iniucundus. Inter cogitandum autem succurrit, te esse eum, qui semper vrbem nostram summo amore fueris prosecutus: nosq; maxima ebaritate honoris, defenderis, tutatus, atq; amplexus fueris. Te item cuius Auo Venetorum Principe existente Vrbs nostra Rauenna fausto omine in Venetiam venit fides, ac vltro se Senatui vestro obtuleris, dederis, ac dedicaueris. De qua re laetum apud hanc nostram historiam esse legere. Te igitur vnum ex omnibus Vir Magnifice, simul & doctissime delegimus: cui hunc libellum duximus mittendum futurum talem, amoris, fidei, obseruantiae Remanensis populi erga te, ac auium tuum quocunq; tempore de nobis, ac de Repub. nostra optime meritum: cuius manibus nunquam desinet quisquam nostrum debere quoad erit vita superles: Suscipias rogamus hanc historiam nostram libenti animo, & cum per otium licet eam ne graueris perlegere. Videbis ibi, ac cognosces de Rauennatibus quos velim tibi persuadere esse, futurisq; perpetuo tibi, & tuis omnibus deditissimos. Inprimisq; ego ingenium quantumcunq; est, speram, curam, diligentiam mentem, totum denique me ipsam tibi polliceor, atque offero. Vale Vir Magnifice, Iacobumq; Franchum tuum diligas.

M. CCCC LXXXIX. vij. Calend. Septembris.



AD EQVESTRIS ORDINIS  
VIRVM CLARISSIMVM DOMINVM  
IACOBVM ANTONIVM MARCELLVM  
PATRITIVM VENETVM.



NON sum nescius, Eques illustris, quàm grandem, quamq. humeris meis impari prouinciam susceperim, qui Raunenarum Urbis antiquissimæ amplitudinem, qui vastationem, eiusque instauratorem quàm breuissime recensere decreuerim. Quod arrogantia tamen haud uelim adscribas: Verum incredibili potius pietati, quæ me nuper ad patriæ reliquias inuestigandas, proq. ingenioli mei tenuitate illustrandas impexit. Quod sane munus comihi libentius obeundum fuit: quo id maioris & iocunditatis, & operæ precij fore legentibus animaduerteterem: ubi quis uelut in speculo quodam uices conspicaretur humanas, disceretque quàm parum secundis in rebus confidere liceat, quando quidem Urbis amplissimæ cadauera, ac ruinas aspiciet, nec desperandum aduersis, ubi eandem illam hoc tempore in dies coalescere, ac reuiuere senserit. Verum enim uero cum circumspicerem quem potissimum donarem hoc munere, Tu occurristi uir imprimis amplissime, quem alterum ista in republ. Scipionem, aut Priscum illum tui generis Principem M. Marcellum audeo dicere: cuius ductu, & auspicio, ut cetera tua longe præclariora facinora sileam, nostra hæc ciuitas e crudelissimis tyrannorum faucibus ad augustum Venetorum desciiuit Imperium. Quod tam & si paulo post tuum hinc discessum contigerit,



gerit, id tamen tua singularis industria, ac spectata prouidentia optimum quemque subleuando, ac prauos deprimendo, ciuiumque omnium beniuolentiam alliciendo nimirum effecit. Qua ex re Raennatem illum esse profecto negauerim, qui uenerandum hoc Iacobi Antonij nomen suo in corde cœlatum non habeat. Quo quidem munere nostro eo libentius te donare constitui, quo & laborum meorum iudex existas, & amorem meum erga te præcipuum, & summam in Venetos obseruantiam, fidem, ac deuotionem recognoscas. Accipies igitur Urbis huius nostræ, immo uestiræ, immo tuæ monumenta uetustissimis deprompta codicibus. Accipies & una hunc animum, qui dignitati tuæ semper ab ipsis, ut aiunt, unguiculis deditissimus fuit: qui nuper has lucubratiunculas nomini tuo ueluti cuidam numini suo dicauit: quibus amplitudinem tuam plus sane splendoris, & nominis, quàm ceterorum omnium, uel doctissimorum inditium daturam confido. Vale.





DESIDERII SPRETI  
RAVENNATIS

De Origine & amplitudine Urbis Rauennæ

LIBER PRIMVS.



RAVENNA. Vrbs antiquissima, loco quidem delectabili sita est, atque agro sane fertilissimo eorum, quæ ad usum hominis pertinent: frumento, scilicet ac pecori quàm maxime accommodato: alicubi uero saltuoso, & aquis munito: per quem & amnes non exigui, & nonnulli pro mœnibus ciuitatis labuntur, suburbiaq; disterminant. Aliqui uero aliunde per agrum decurrentes, Adriaticum influunt mare: unde commode potest se interdum uenationibus & piscatione exercere iuuentus. Plures autem, dum mare irrumpunt ea flumina, portus efficiunt. In primis spatiosum illud ostium Spineticum. Quod nominis mutatione Primarium dicitur. Secundum illud Pirotole. Tertium quod nunc Sanctæ Mariæ in portu denominatur. Quartum uero Classicanum. Quintum, quod Geruasium plures appellare:

A con-

confueuerunt. Ex quibus permulta commoda, ac utilitates non mediocres incolæ capere possunt. Fossam item habet nauigia ferentem, quæ in fluium Eridanum deriuat, per quæ è Liguria, & ex alijs Italiae partibus mercium, & multarum rerum copia Rauennam ratibus aduehitur. Habet præterea Vrbs ipsa ærem satis humanæ naturæ conuenientem: quæ maiorem quoque in dies temperiem suscipit: fuerat autem olim saluberrimus, ut antiquissimus orbis descriptor Strabo de Rauenna locutus, his uerbis memoriae prodidit. Cum à mari fiunt inundationes, non mediocrem accipit maris partem, adeo ut uniuersa cœnoscitas: hinc fluctu marino, hinc fluminibus alluentibus, tetrum medicatur odorem. Hoc igitur pacto saluberrimus comperitur locus, unde gladiatori- bus educandis, ac exercitatione erudiendis, hunc idoneum lanistæ locum designauere. Inter cætera eius loci mirabilia, illud est, quòd palustribus in locis, aer innoxius est, quem admodum ad Alexandriam Aegypti, paludis uitium æstate propulsetur propter amnis incrementum simul etiam euascente cœno. Huius autem loci salubritas L. Vitruuij in libro, qui de Architectura inscribitur, ubi plures innoxij acris causas affert, lucidissimo quidem testimonio comprobatur. Cæterum bellis uigentibus, atque hominum negligentia, ager ipse partim palustris, partim dumosus effectus est. Vnde crassus in ærem sublatis uaporibus, prisca illa salubritas facile corrupta est. Quid quod uitibus euenit; ut idem ait Strabo; quàm admirabile? eas palus creat, celeriter perficit, & multum fructum edit. Omitto pinus, & quedam alia arborum, & fructuum genera, quibus solus ager ille multipliciter abundat: quæ nec Liguriæ, nec Etruriæ, nec Piceni, nec aliarum ferè Italiae prouinciarum ager uspiam gignit. E/ne spaciari nimis uidear quàm ab initio instituerim, omitto solatia, & oblectamenta plurima, quæ uenando, aucupando, & piscando ex paludibus, & toto Rauennati agro comparantur.

N V N E autem de nomine, ac origine ipsius Vrbs dicen-  
 dum existimaui. Sunt enim qui à ratibus Rauennam, seu à  
 nauibus Nauennam denominatam uolunt. Nam Vrbs con-  
 ditores ad hæc loca ratibus uectos autumant. siue Rheuen-  
 na, quod forte uerius esse creditur, ob aquarum congrega-  
 tionem. sic enim id nomen significare uolunt. A qua senten-  
 tia non discrepare uidentur ipsius Strabonis uerba, qui hunc  
 in modum scriptum reliquit. Intra paludes Vrbs maxima  
 Rauenna posita est, tota ligneis compacta ædificijs, aquis  
 diffusa, pontibusq; , ac lembis peragrata. Aliqui narrant ab  
 Nembroth filio Cus filij Can ex Noë progeniti eam fuisse  
 conditam. At quoniam id sine annalium, scriptorumq; au-  
 thoritate asserunt, ipsis minime assentior. Verum Strabonis  
 diligentissimi scriptoris opinionem magis sequor, qui eam  
 à Theßalis conditam fuisse testatur his uerbis. Rauenna à  
 Theßalis condita perhibetur: cum autem Tuscorum iniu-  
 rias ferre nequirent, Umbros quosdam ultro assumpserunt,  
 qui & hoc tempore urbem inhabitant, ipsi uero domum re-  
 dierunt. Multi dicunt, quibus Plinius assentitur, oppidum po-  
 stea fuisse Sabinorum, quos ante urbem Romam, & com-  
 plures alias tunc conditas urbes: antiquos quidem: poten-  
 tes, armisq; præstantes, ac opulentissimos, sicut historiæ fe-  
 runt, comperimus. Qua uero tempestate, aut per quòs no-  
 minatim uiros, talis, ac tanta Ciuitas fundata fuerit, quiq;  
 illam ab initio habuerint, non satis compertum habeo.  
 Aucta est autem Rauenna spinæ dudum ciuitatis uetustissi-  
 mæ, ac opulentissimæ occasu: & ab ea mirabile habuit incre-  
 mentum. Ita ut apud Rauennates maris imperium extitisse,  
 quod apud Spinenses olim teste Strabone fuisse legimus,  
 non immerito suspicandum sit à qua quidem ciuitate, & o-  
 stium illud Spineticum, quod nuper Primarium dicitur de-  
 nominatum, non dubitamus. Nam locus ibi quidam Vol-  
 ra spinæ etiam in hodiernum diem nuncupatur. Fuit autem  
 eo in loco Spina quidem ciuitas, quæ, ut constat, non pa-

rum temporibus illis floruit : ad quam tunc mercatores & conuenæ pro commutandis emendisq; mercibus undique confluebant, eum ad locum nauibus, accumulatissime res uenales conuehebantur. Cuius quidem rei clarissimus testis est Strabo, Spinam sic inter situm Rauennæ commemorans. Quò interuallo Butrium Rauennæ castellum est & Spina : hoc quidem tempore uiculus, at quondam græca ciuitas & quidem celebris. In Delphis, Spinensium thesaurus commonstratur, aliaq; de ipsis memoria mandata sunt, apud quos maris erat imperium : eam, ut traditur, unda maris aluerat : nunc locus nonaginta à mari stadijs distans in mediterranea iacet. Sed illud est mirandum, nulla ipsius urbis fundamenta in loco extare, quæ ciuitatis illius nobis fidem faciant, quòd, nisi testis esset Strabo, & uetustissimæ quædam scripturæ nobis indicarent, non facile crederemus. Eius autem Urbis euerfionis causa penitus ignoratur. At eam nos præterire non erit indignum. Omissis igitur Rauennæ urbis exordijs, quando quidem aliud nihil certi, nisi quantum supra expressimus, haberi potest, aliquanto altius augustam ipsius dignitatem amplitudinemq; recensere conabor.

VRES Rauenna : sicuti uetustissima quædam litterarum monumenta, & ipsa nempe antiquitatis uestigia docent; præstantissima quidem & excellentissima fuit, ut suo etiã tempore parem non habuisse plures affirmant. Quod & Strabo plane sensisse uidetur, cum ait : Intra paludes Vrbs maxima Rauenna posita est. Ante Urbem Romam, uti clare accepimus, condita est : & multis olim populis ac nationibus gloriosissime imperitauit. Arma quoque tunc ferox ille Rauennas populus in hostes, rebellesq; ciuitates capere, ac omnem expeditionem parare, bellaq; plurima gerere non dubitauit. Ausus etiam durissima aduersus Ticinenses prælia inire : & eos tandem ui ac ferro in urbem persecutus, æreas Urbis portas auferre. Cuius rei adeo constans fama fuit, ut

portas repetere curarint . Multa in super mari terraq; eos potuisse, & in hostes expeditam perpetuo tempore classem olim tenuisse nouimus . Quibus omnibus populum tunc Rauennatem, & uiribus, & armis potentem, ac illustrem fuisse constat. Igitur cum potens & egregia esset Vrbs Rauenna, pulcherrimum quippe erit intelligere, quonam pacto cum Romanis se initio habuerit . Nam poterit fortasse quispiam quærere, si tam potens erat, cur in Romanos Rauennatis populi bella uel expeditiones non leguntur, quod profecto nulla causa facta existimo, nisi quod ciuitatem ipsam cū Romanis fœderatam fuisse cōperio apud Ciceronem in oratione pro Cornelio Balbo : cuius uerba subiiciam . Cn. Pompeius magni pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Cesium ciuem Romanum, uirum bonum, Q. Iunium Rauennatem, fœderato ex populo, ciuitate donauit. Ex his certe uerbis Q. Iunium Rauennatem bello Italico interfuisse, strenueque egisse, & ideo ciuitate donatum intelligimus . Mos namque tunc Romanis erat, ut peractis rebus bellicis, pro meritis alios ciuica, uel uallari, uel murali corona, alios agro, uel ciuitate donarent. nā Massinissa rex fœderatus, qui Romanis auxilio uenerat, confecto bello Punico Numidiæ regno donatus est : ex quibus postremo uerbis, populum Rauennatem cum Romanis, tunc iure fœderis iunctum fuisse, clarissime constat. Sabinos præterea, primos cum populo Romano fœderatos extitisse tradit, & Liuius, & Lucius Florus, & qui de Romana Rep. conscripserunt : quorum Rauennam fuisse oppidum supra ostendimus . Quam ciuitatem C. Cæsaris temporibus non parum etiam floruisse Suetonius refert : cuius ut notior fiat sententia, uerba subnectam . Cum Cæsar ex Gallia transalpina in citeriorem transisset Galliam, Rauennæ substitit : inde cum tribunos plebis, qui pro eo intercedebant, urbe cessisse intellexisset : præmissis clam cohortibus : nequa in eum suspicio moueretur, spectaculo quidem publico per dissimulationem interfuit, & gladi-

diatorum ludi formam tunc primum considerauit, frequentiq; ex consuetudine se conuiuio dedit: post solis uero occasum mulis è proximo pistrino ad uehiculum uinctis, iter occultissimum modico ingressus est comitatu, luminibusq; extinctis è uia decedens, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites pedibus euasit. Cæsarem autem fortissimum omnium Imperatorum nouem habentem legiones, haud frustra populum Rauennatem timuisse creditur: quoniam ex ea palam discedere non est ausus: & quandiu apud eam fuit, de inuadenda eius republica consilium occultauit. Octauianus item Cæsar Rauennam aliquando ex Vrbe diuertisse, apud eundem Suetonium legitur, qui etiam cum ex militaribus copiis, legiones, & prouinciarum auxilia distribueret, Classẽ Misseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi, inferiq; maris collocauit: ex quibus omnibus satis liquido constare potest, quanta, qualisq; tunc Rauenna fuerit. Plurimiq; postea Imperatores, Reges, ac Duces, regni sui sede ibi constituta, eam aut inhabitauerunt, aut magnis præsidij tenuerunt. Nam ex Imperatoribus Rauennæ legimus Iustinianum aliquibus, Valentinianum uero posteriorem pluribus: necnon Honorium, & Theodericum Gothorum Regem annis triginta nunquam ex ea discedentem Imperij sui sedem tenuisse: dehinc successorem suum Theodatũ, & quotquot ex Regibus Gothorum in Italia regnauerunt. Cuius rei testis est Paulus Orosius, & quidem locuples in eius historia, ubi Imperatorum gesta commemorans, præter Gothorum, Longobardorum, & exterorum regum apud Rauennam res præclare gestas, multa scribit, quæ ipsius Urbis dignitatem non mediocrem insinuant. Eius igitur aliqua, diuersis licet in locis conscripta, recensere constitui, quo maiorem legentibus fidem exhibeant. Honorius tradita Constantio eius comiti, fide integerrimo, Galla Placidia, eius germana, ex quo Valentinianum genuit, qui postea reipublicæ imperium gessit: cum tandem

cun-



cunctis annitentibus apud Rauennam in Regni consortium  
 afsiuit: apud quam etiam ciuitatem, idem Honorius sua  
 tricennalia peregisse legitur. Maiorianus item exempto in  
 Italia rebus humanis Auito apud Rauennam inuadit impe-  
 rium. quod annis prope quatuor obtinuit. Quo etiam mor-  
 tuo, Seuerus apud Rauennam Imperator efficitur, atque  
 Augustus appellatur. Glicerius domesticus à Gundiucro  
 patricio totius etiam uoluntate exercitus apud Rauennam  
 Imperator efficitur. Magnam insuper, idem Orosius fuisse  
 militiam Rauennatem his uerbis ostendit. Iustinianus Ro-  
 manorum rex Sergium Pontificem, quia in errore synodi,  
 quam Constantinopoli fecerat, fauere, & subscribere noluit:  
 misso Zacharia Prothospatario suo, iussit Constantinopo-  
 lim deportari. Sed Militia Rauennæ, uicinarumq; partium,  
 iussa principis nefanda contemnens eundem Zachariam cū  
 contumelijs ab Vrbe Roma, & iniurijs repulit contra Iusti-  
 nianum: qui tandem Imperio expulsus per Leonem Augu-  
 stum naribus detruncatur. Leo etiam Augustus apud Con-  
 stantinopolim Sanctorum imagines depositas incendit. Ro-  
 manoq; Pontifici similia facere, si imperialem gratiam habe-  
 re uellet, mandauit. Sed Pontifex hæc facere contempsit.  
 Omnis quoque Rauennæ exercitus, & Venetiarum talibus  
 iussis uno animo restiterunt. Et nisi Pontifex prohibuisset,  
 Imperatorem super se constituere aggressi fuissent. Hæc, &  
 alia complura de Rauenna refert Orosius: quæ cum plana  
 sint, neue longior fierem, præterire consilium fuit. Muni-  
 tissimo insuper murorum ambitu ædibus, ac superbissimis  
 quidem ædificijs ornauere: quorum pars modica, & fere  
 nulla nunc inspicitur à Tiberio, & Claudio Germanico mœ-  
 nibus auctam, à quo & portam illam, cui Aurea est nomen,  
 eximio, ac magnificentissimo quidem opere, structam ex mar-  
 more pario fuisse nouimus. Indicant ad ipsam portam lite-  
 ræ, quas hic inferere non erit iniucundum. TIB. CLAV-  
 DVS. DRVSI. F. CAESAR. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB.



POT. II. COS. DES. III. IMP. III. P. P. DEDIT. Quem tamen  
 murum Valentinianus posterior Gallæ Placidix filius; ut  
 auctor est Agnellus Rauennas Pontifex; uel instaurauit,  
 uel parte ex aliqua ampliavit, summa adeo cura consumma-  
 tum, ut ferè nullum Italiæ nunc uel nouum, uel uetustum ha-  
 beat illi æquandum, basilicas uero permultas ac monasteria  
 propriis extruxere impensis. Quibus tum operum magni-  
 ficentia, tum ornatu speciosissimo, pares quidem paucissi-  
 mæ in Italia nunc spectantur. Qualis est in primis diui Vi-  
 talis basilica: quæ & in hunc diem insignis cernitur. eam ab  
 Iuliano argentario Iustiniani Imperatoris iussu in sanctæ So-  
 phiæ Constantinopolitanæ ædis similitudinem, extructam  
 nouimus. In cuius testudine stat in altaris tabula marmo-  
 reus lapis adeo perspicuus, & clarus, ut satis licet profun-  
 dus sit, ex opposito tamen quodcunque obiectum clarissi-  
 me discernatur. Ad sunt etiam candidissimo in marmore tres  
 infantium imagines. opus nec immerito, ut fertur, Polycleti,  
 quæ omnes certè alias pulchritudine arte, & optima mem-  
 brorum proportione facillime superant. In eiusdem quo-  
 que testudinis summo uertice, quidam agnus Dei tessellato  
 opere celatus existit: qui tam mira opificis arte formatus  
 est, ut quouis ex templi latere eum inspicias, ipse te semper  
 recta facie ac clunibus retro uersis intueri uideatur. Præte-  
 rea, ne longam templi descriptionem prosequamur, tum uari-  
 o marmorum ornamento, tum opere tessellato in eo multa  
 sunt & visu & commemoratione dignissima. Quid ædes  
 Iohannis Euangelistæ, Gallæ Placidix Valentiniani geni-  
 tricis opus nempe eximium? Quid Sacellum illud spetio-  
 sum, & tanta artificum cura exædificatum, in ipsius Augu-  
 stæ sepulchrum: cuius adhuc corpus superbissima in sepul-  
 tura marmoreo lapide, ibi splendèdissime fabrefacta, recondi-  
 tum esse cernitur? Adde Crucis, Zachariæ, & Michaelis  
 templa: quæ eadem Augusta summa quadam diligentia con-  
 struxit: Mariæ quoque in rotundo; ut appellant, quod uni-

co, eoq; ipso vastissimo tegitur lapide. id namque in Theodorici Gotthorum regis sepulchrum exædificatum reperi-  
 mus. Templum item Martini in cælo aureo: quod nomi-  
 nis mutatione Apollinaris in nouo dicitur, & Saluatoris:  
 super cuius pinaculo, idem Gotthorū Rex æream statuam  
 auro purissimo deauratam, varijsq; ornatibus redimitam,  
 vt gloriosum ostentaret opus erexit: quam & Carolus Fran-  
 corum Rex, quum totam ferè subiugasset Italiam, in Gal-  
 liamq; rediret, & per Rauennam iter faceret, subtraxit, &  
 in Galliam detulit: palam testatus similem se nunquam vi-  
 disse, nec artificio, nec ornatu celsiorem. Adest & Gotthi-  
 cum templum, quod Gotthi gens licet Arianæ hæresis labe  
 infecta, sub sancti Andreæ nomine summopere comptum,  
 & suis tunc ædificijs admirabile construxere. Sed id nuper  
 solo æquatam, & funditus deletum vidimus, præclarum au-  
 tem opus, & multorum annorum labore, arx munitissima,  
 quæ modo tanta Venetorum impensa erigitur, paucis nu-  
 per diebus absumpsit. Subinde Apollinaris in classe tem-  
 plum quidem splendidissimum Narsetis Iustiniani ducis ope-  
 ra exædificatum. Porro Laurentij in Cæsaria ædes, quam  
 Lauricium Imperatoris Honorij cubicularium, in hunc mo-  
 dum fundasse legimus. Honorius Cæsar Lauricio iussit,  
 vt in Cæsareo oppido apud Rauennam, regale, & spetio-  
 sum sibi atrium ædificaret. Is assumpta pecunia ad locum  
 confestim accessit. ibiq; basilicam Laurentio martyri di-  
 catam, ædificijs, ac magnitudine præclaram construxit: &  
 cum omnia consumasset, ad Imperatorem rediens, ut exple-  
 tum sibi opus enunciaret. Cæsarem mox turbatum inuenit.  
 Iâq; inuida maliuolorum fraus, Imperatoris aures tentaue-  
 rat. Interrogatus demum Lauricius, si commissum sibi opus  
 expleuisset, & imperialem aulam extruxisset: omnia, se fide  
 confecisse respondit. Quo audito Cæsar, tacitus quieuit.  
 Cum autem ad ea loca profectus fuisset Honorius, sublimia  
 conspicatus ædificia: Lauricii opus præter multorum expe-

Etationem summe laudauit. Non mediocris utique honos  
 Rauennæ fuit ipsum Cæsarem Honorium, alios item quos-  
 dam Cæsares, ex Vrbe Rauennam aliquando diuertisse.  
 Extat & ædes Ioannis Baptistæ, cuius Baduarius quidam  
 fundator exitit. At quoniam natio, & stirps eius scriptis mi-  
 nime mandatæ sunt, nos illam ignorare non est mirum.  
 Quid templum Mariæ in portu, quam Petrus quidam pec-  
 cator Romanæ ecclesiæ Cardinalis erexit ædificijs, ac or-  
 natu sublimem, & alia insuper insignia monasteria, ac basi-  
 licas magnificentissime constructas temporibus illis fuisse  
 comperimus, quæ hic nominatim describere longum es-  
 set. Ea vero amplissimis condonarunt patrimonijs: Hinc  
 habent Cathedralis huius Urbis ecclesia, & septem alia mo-  
 nasteria, possessionum ius amplissimarum in Exarchatu Ra-  
 uennæ, & in omni agro, qui tunc ad Rauennatem spectabat  
 iurisdictionem. Qui quidem ager & exarchatus, ab Apen-  
 nino monte Picenum inter, & Padum Placentiam vsque:  
 & ultra Padum ad Mincij amnis fluuenta, in paludes & mare  
 Adriaticum protendebatur. Nam quicquid à Placentinis  
 & agri Papiensis finibus, Padum inter, & Apenninum, ac pa-  
 ludes, stagnaq; Venetorum, & Adriaticum pelagus pertinet  
 ad Ariminum. Quam quidem ciuitatem, & quicquid intrâ  
 Isaurum, cui fluuio nunc Folia est nomen: Apenninumq; &  
 Adriaticum mare continetur Rauennati Iuri, & exarchatui  
 subditum fuisse ostendit cõsuetudo iuris, ab exarcho dicen-  
 di vsque ad hæc tempora obseruata. Exarchatus autem  
 principatum significat: nam Archos Græce, Latinis Prin-  
 cepts. Extat præterea donationis factæ ab Imperatore Iu-  
 stiniano ecclesiæ Rauennati pars formulæ, in hæc verba.  
 Sancta mater Rauennas ecclesia, vere mater, vere ortho-  
 doxa: cum ceteræ multæ ecclesiæ falsam propter metum, &  
 Principum terrores superinduxerint doctrinam, hæc vero  
 Catholicam tenuit fidem: nunquam mutauit, fluctuatione  
 substinnit, sed à tempestate quassata, immobilis permanfit;

HABUIT præterea Vrbs ipsa portum olim insignem ad Classense castellum ciuitati satis propinquum: qui adeo patens, & nauigijs tutus fuit, vt illum Imperatores, ac Reges permulti elegerint, vbi suam classem perpetuo tempore expeditam conseruarent: quæ aut subitis in tumultibus, aut destinatis in bellorum apparatibus, Illyrium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Cretam, & Cyprum, directa nauigatione celerius petere possent, quàm si ex vrbe Roma, aut alijs Italiae littoribus soluisent. Nuper vero portus ipse pene clausus est, vt nedum triremes aut dromones, sed nec sciffam piscatoriam, lembum ve perferat. Cuius quidem rei causam fuisse non dubitamus, Sapis fluuij, & aliorum fluminum, qui portum illum facere consueverunt auersionem. Nam aliud in mare hostium, quod Geruasium dicitur: multis ante seculis sibi Sapis fluuius effecit. Alij verò ad Urbem declinantes, Adriaticum mare aliud per hostium influunt. est quidem ignorantibus: & si à maioribus scripta sunt incredibile dictu, vel portum eius magnitudinis, vel oppidum in Classensi loco fuisse. eum tamen, quem diximus portum, moles quædam miræ magnitudinis, ac structuræ, tunc, vt apparet, aquarum fluctibus obiecta, necnon turris illius, quam ad portum illum fuisse legimus, de qua lucernæ noctu portum nauigantibus indicarent, fundamenta nuper reperta nobis euidentissime ostendunt: quam quidem turrim asserit Plinius, omnium maximam fuisse, quas Romanorum Imperij portus alicubi habuerunt.

VRBEM Rauennam adeo nobilem, & præclaram fuisse reperimus, vt illam ab initio non nisi viri nobiles, & generosi, & qui aliquo eximia virtutis splendore essent insigniti, vti fama est, eaque haud tenuis tantum modo inhabitarent: plebeis verò, & cæteris omnibus habitanda loca extra Urbem designarunt. Hinc Cæsareum castellum, parum ab Vrbe distans, condidere: quod postea etiam muris cinxerunt, quorum adhuc fundamenta uisuntur, vt in eo

artifices perpetuam traherent habitationem. Ex quo quidem oppido Priscianum victorem in arte Grammatica eminentissimum oriundum non desunt, qui constanter audeant affirmare. Aliud quoque oppidum ad Classicanum portum, quod Classense appellabatur, ut ibi mercatores conueniret, & ceteri omnes, qui pro commutandis, emendisque inuicem rebus assidue consuebant, commorarentur, propensius ædificarunt: quod ab Leoprando Longobardorum rege postea deletum fuisse legimus. Ex quibus & si non alia adessent inditia, liquido perspici potest, quæ, & quanta Rauennæ Urbis nobilitas, potentia, dignitas, & opulencia fuerit. Pictura item quædam tesellato opere facta, quæ spectiosa, & elegans in Beati Martini in cælo aureo æde, aliàs, ut diximus, ab Theodorico constructa cernitur, tum Urbis Rauennæ, tum Classensis oppidi antiquam præstantiam indicat. Id opus Theodati regis, qui tunc occidentale obtinebat Imperium, fuisse conijcimus. Quo in loco multa vidimus, quæ & scripta credere difficile nobis erat. In pariete enim, qui ad dexteram est, Rauenna qualis tunc erat in hunc modum depicta est. porta aurea Claudij Tiberij opus qualis nunc extat, propinquam habet insignem Beati Vitalis ædem: magna ex parte nunc integram, Palatij item illius excelsi, quod tanta cura, impensaque Theodoricum ædificasse, Cassiodorus sæpe commemorat, & aliarum ædium, ut in pictura apparet, superbissimarum nullæ iam diu vel minimæ cernuntur reliquæ. Sed illud in omnibus cernere est admirandum, quod ad omnes aditus, qui portæ aureæ, & ædis sancti Vitalis bini, palatio autem quaterni erant: nec lignæ, nec æreæ, nec ferreæ erant valvæ. Sed in ea quam Ducum, Regum, ac Imperatorum instituta, & potentatus præstabant securitate cortinilla, ut apparet aurea, quam Vellum appellare consueverunt, pro valuis & foribus utebantur. Indicant præter picturam arpagianuiculi ex ære; qui in summam ostiorum, quæ

Vitalis bina sancti ædem habere diximus, adeo tenues sunt, ut constet eos nihil præter cortinulam sustentasse, In pariete autem sinistro eiusdem Beati Martini ædis Classense oppidum tantis ædificijs ornatum fuisse apparet, ut stupendum sit nulla ipsius fundamenta nullam partem, præter ædem Sancti Apollinaris, quæ adhuc extat insignis, ac Sancti Seueri magnâ nunc ex parte collapsam, & penè delctam, nec non eius olim portus molem, de qua supra diximus: alicubi uel in silua, uel in uepribus inueniri. portum etiam illum, quem adeo patentem, & nauigijs tutum ostendimus, ac turrim illam maximam pictura ipsa euidentissime nobis ostendit.

Sed quales olim Rauenna Vrbs uiros, ac ciues habuerit, in præsentiarum licet ostendere. Vereres nostri, & natu maiores, aditus, portas, & propugnacula quædam, ex ipsis denominata, summa cura in murorum Urbis ambitu construxere, vel, ut aliqui tradunt, ædes ibi proprias habuere. Cuius rei aliquæ, quæ nunc extant, portæ, & propugnacula fidem faciunt. Andrianam portam, ut ab aliquibus exordium capiamus, ab Andriana egregia quondam familia nomen traxisse non dubitamus, Anastasiam uero portam, ab Anastasio quodam de Honestis stirpe uetustissima: quæ, sicut accepimus, nobilissima quidem, & generosa olim fuit: e qua clarissimi olim uiri, & omni laude, atque gloria digni prodire, inter quos fuit beatus Romualdus Camaldulensis heremi ordinis erector. Gazum quoque, ubi olim aditus quidam fuit, & nunc propugnaculum: à nobili, & quæ adhuc in Corneliensi Vrbe præclara uiget, Comitû de Gazo familia. Aliud uero propugnaculum, quod Polentesia dicitur: à clarissimâ ac potenti quondam familia Polentesia, e qua præstantissimi, & generosi eius Urbis ciues fuere, à quibus castellum Polentæ conditum fuisse credimus Pusterula turris. quædam à Pusterula domo, quæ dudum nobilis, & clara fuit, sibi id nomen uendicauit. Aliquosia turris, quæ in hodie-



num tempus Almerici Lidoxij dicitur, siue ab Alidofijs, quæ olim nobilis, & potens habita est familia: nam foro Cornelij ætate nostra multisque oppidis imperauit: siue, ut quidam perhibent, quod uerius esse credo, ab Almerico quodam ex generosa, & illustri dudum Cuniensi familia progenito. Ex hac enim Vrbe eam familiam genus suum duxisse comperimus. hinc nomen sibi turris occupata est. At ubi in ciues eius Urbis egregios, virosque præstantes incidimus, non omittendas esse decreui præclaras duas olim familias, quæ non modo eam ciuitatem, sed uniuersam ferè Flaminiam, illustrare ac decorare potuissent: & in primis generosa Trauersariorum domus, quæ genere, opulentia, ac dignitate præstans fuit: & Polentesia gens haud inferior Trauersariæ habita: ex ea nanque fuere qui Urbem nostram Ariminum: & oppida permulta aliquando ditioe tenuerint: Comites item Maluicini: e quibus fuere in re quidem militari uiri perillustres, qui Bagnacaballo, & oppidis etiam quibusdam olim prædominati sunt: ex hac enim Vrbe, & ipsi ortum habuere. Alios complures generosos, & præstantissimos ciues, ac honestissimas quidem familias adducere possem, quæ & nobis eius Urbis claritatem maximam ostenderent. Sed eas ob claritatem suam publice cognitam missas facere consilium fuit. At quando iacta ni fallor sunt fundamenta, quæ generosam Urbis uetustatem, amplitudinemque nobis satis probabiliter insinuant. Nunc locus iste deposcere uidetur, ut ex multis pauca de sanctitate, ac dignitate Præsulum eius Urbis, & gestis quibusdam dicere uelimus, e quibus Urbis splendorem, præstantiamque ostendi posse non dubitamus.



*De dignitate Præfulum Rauenna, & eorum  
sanctitate.*

**E**CCLESIAM Rauennatem floruisse olim : & mira quadã, ac incredibili sanctitate præstitisse omnes affirmant : ita ut æqualem fere suo tempore post primas sedes non habuisse dicere aulim. Nam martyres, & confessores plurimi ecclesiæ, ut legimus, Rauennati præsiderunt. Quosdam autem eorum à spiritu quidem paraclito, in columbæ specie dignatione mirabili delectos fuisse nemo dubitat : quorum aliqui, licet rudes essent, & litterarum penitus ignari : eam tamen post electionem in uiros repente eruditissimos, & sapientissimos, ac si litteris, & sapientiæ ætate omni eos uacasse contigisset, euasere. Et si eorum uitæ sanctimoniam, si morum grauitatem, si denique gesta percurrere tantummodo uelim, immensum quidem uolumen excresceret. Itaque eorum dignitatem quam breuissime perstringere curabo. Præsul igitur Rauennas metropolitanam quidem potestatem, ac iurisdictionem, super Episcopos sexdecim consueuit habere : quorum hic nomina haud alienum erit interferere. Ariminensem scilicet, Cefenatem, Ceruensem, Foripompoliensem, Saxonatem, Liuiensem, Fauentinum, Corneliensem, Britinensem, Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem, Placentinum, Ferrariensem, Adriensem, & Clomadensem. Quos omnes intra Rauennæ Exarchatum constitutos esse uidemus. Ipsum insuper Rauennæ Præfulem, ab Valentiniano Imperatore ornatum fuisse constat palio ex candida lana confecto, quo solus tunc Imperator uteretur : quod quidem superbiæ incencium fuisse coniecimus, ut Præsul Rauennas cum Romano Pontifice de principatu contenderet : nam multas inter se, ut legimus, contentiones habuere. Ita ut Rauennas Ecclesia tandem à Pontificis Romani ditione

tione subtracta prorsus uideretur, Sed postea Agathonis  
 Romani Pontificis temporibus, Ecclesia ipsa Rauennas Ro-  
 manæ a qua, ut proxime diximus, iam pridem descuerat,  
 est subiecta. Theodorus præerat tunc Rauennati Ecclesiæ  
 Archiepiscopus: quo etiam tempore alter Theodorus Cal-  
 hōpa Exarchus Italiæ erat. Clerum Rauennatem tunc ma-  
 gnum, Is Archiepiscopus præter quorundam ex prædeces-  
 soribus morem, seuera distinctione in bonis moribus conti-  
 nebat, unde maximas in illum inimicitias exercebat; fame  
 autem plane inchoata multis, ac fere omnibus opitulabatur  
 Archiepiscopus. Sed maior fuit quorundam importunitas,  
 quàm ut illorum ingluuiem luxuriamque potuerit explere:  
 hinc detractiones primum, & suffurationes auditæ sunt.  
 Auaritiam Archiepiscopi tenacitatemque damnantium, fame  
 postea inualecente, ab occulta mordacitate multi pro-  
 ruperunt in apertam Archiepiscopi, uituperationem: eos ta-  
 men, ut potuit largitione Pontifex conatus est demulcere.  
 Dies aduenit sacratissima Natalis Christi, conuenitque ex  
 more ad ortum Solis Rauennæ populus in Apollinaris æde,  
 quæ in Classensi loco etiam speciosissima uisitur, expectaba-  
 turque Archiepiscopus, qui Missarum solemnia celebraret:  
 sed omnis clerus secessione facta, illū in Archiepiscopio de-  
 stituerat. Cum uero Sol iam in meridiem ascendisset, Exar-  
 chi opera reductus ad Archiepiscopum clerus, illum ad mar-  
 tyris ecclesiam deduxit. Qua stomachatus indignitate Ar-  
 chiefpiscopus, ad Agathonem Romanum Pontificem se con-  
 tulit, & Rauennatem ecclesiam Romanæ subdidit, ut non  
 ultra Romano par foret Rauennas Præsul, quod multi antea  
 dicere præsumperant: sed Rauennas Pontifex, aut qui à  
 clero, & populo Rauennati diligeretur Romam pro confir-  
 matione cogeretur accedere. Cæterum hæc omittamus:  
 nam quædam alia recensenda locus iste deposcit, ut scilicet  
 quàm breuius possim scribere incipiam, per quos fides Ca-  
 tholica Rauennatibus tradita, & primitus insinuata fuerit,  
 & quædam

& quædam demum præfulum gesta, quo nostrum profequamur institutum. Apollinaris siquidem primus fuit, qui fidem Christi Raüennæ disseminauit, natione ut historiæ ferunt Antiochenus, græcis uero, & latinis litteris apprime eruditus. Hic postquam ab Apostolorum principe ordinatus est Pontifex, Raüennam nobilissimam Italiæ tunc ciuitatem, & multarum metropolim urbium missus est. Vbi Christi fidem diu prædicans, multos ad catholicæ fidei agnitionem perduxit: per quem & dominus signa, & prodigia multa ostendere dignatus est: cæcos scilicet uidere, claudos ambulare, leprosos mundari, ægros omni ab infirmitate conualescere, mortuos denique ab inferis resurgere faciens. Tandem multos post labores sanctam Raüennæ ecclesiam, & ipsam quoq; Urbem suo quidem martyrio consecrauit. Quam & eiusdem uiri meritis præcipuis, præ cæteris omnibus ecclesijs adeo clemens ipse, & uerè pius dominus Christus insigniuit: ut postquam præful ipse sanctissimus corona martyrij laureatus, migravit ad sidera, duodeni instar Apostolorum, per multa quidem annorum curricula duodecim sibi successores ordinarent, non humana electos industria, sed superna potius accitos clementia: nam super eorum capita, demissa cœlitis columba, delectos esse legimus. | Aderitum scilicet uirum sanctissimum; Eleucadium philosophum græcis, latinisque litteris eruditissimum, Marcianum, Calocerum, Proculum, Probum, Datum, Liberium, Agapitum, Marcellinum, & Seuerum, qui ultimus fuit præfulum, in quorum electione Spiritus sanctus diuina quadam prouidentia descenderet. Multa uero eius leguntur prodigia, quorum aliqua hic pro nostra in hunc diuum pietate percurrere, non erit insuaue. Quodam die dum sacra Missarum solemnitas uir sanctissimus celebraret, Lectorque, siue, ut appellant, Subdiaconus epistolam astanti populo de more solito recitaret, pulpitumque ascendisset, beatissimus uir in extasi repente factus est. Ministri uero existimantes, quod à somno

fuiſſet oppreſſus, eius latera, ut excitarent contingunt, ille tandem, ut à graui ſomno ſe erigens, quid mihi moleſti eſtis inquit? licet enim præſens hic uobis uiderer, alibi tamen me nuper fuiſſe uelim uos non ignorare. At illi, ubi fuiſſet ſciſtantes: ait in Mutinenſi nuper templo aderam, ubi fratris mei epiſcopi Gemianiani ipſius templi Antiftitis omnipotenti Deo animam commendauit, ibique commoratus donec in ſepulchro corpus conderetur. Ciues autem, ut fidem eorum caperent, ad Urbem Mutinenſem nuntios mittunt: qui cum ad locum proſecti fuiſſent, de die, ac hora, qua beatus Gemianianus ex uita migratſet ad dominum, diligentiffime ab ciuibus ſciſcitantur. At illi, nonne Pontifex ueſter Seuerus eius animam commendauit: & donec ſepulchro corpus traditum eſt, hic moram traxit: & deinde à noſtris repente oculis euauit. His auditis mox nunciij redeuntes, Rauennatibus hæc omnia renunciauere. Aliud quoque memoratu dignum is diuinus uir operatus eſt. Tantæ quidem ſanctitatis fuit, ut ipſe etiam obitus ſui diem proximum uiderit, Nam celebratis ex more diuinis myſterijs, ſacrum Domini corpus, & ſanguinem cum ſumpſiſſet, ſtola indutus Pontificali, conuocato ad ſe clero, ac uniuerſo populo, de fidei integritate, unanimitate, atque fraternâ dilectione prolixius ſermonem habuit: quo finito ad ſepulchrum, ubi uxor, & filia prædeſunctæ iacebant, accedens, uiuus ingreditur: & quoniam nimis anguſtum erat ſepulchrum, ſui, & prædeſunctorum minime capax, præmortuis iam uxori, & filiæ, ut ſui ſepeliendi locum ſibi concederent, mandat: ad cuius uocem uxor, & filiæ oſſa quælibet, hæc quidem dextrorſum, illa uero læuorſum ſe contrahunt, & capacem inter ſe medium locum ſanctiſſimo uiro tribuunt. Vbi denique humilis pretioſam Deo animam reddidit. Sed uideo me longius, quàm propoſitum erat, euagari. Per multos alios inſuper ſanctiſſimos præſules eidem maiori Rauennatum tunc præuiſſe legimus. Quorum aliqui ob eorum uitæ ſanctitatem non omittendi

omittendi sunt : Liberium primo, post Apollinarem XIII. Probum Florentium, alterum item Liberium, Vrsum, à quo templum maius, & in hodiernum Vrsianum denominatum erectum est, columnis marmoreis, speciosissimisque lapidibus, ac uarijs ornamentis, & figuris tessellatis exornata. Præsulenim ipse plebem Dei tunc diuersa per loca uagantem, in ouile unum colligere summopere studuit. A quibusdam postea alijs pontificibus id multipliciter, uarieque decoratum fuisse comperimus : nam altare illud, ac testudinem argenteam, splendidissime, & mira quadam artificum industria exornatam extruxere : ut par illi ullum Italia minime habeat. Omitto preciosa uasa, & alia quædam ornamenta, quæ plurima eam basilicam nouimus habere, Omitto beatorum corpora, compluresque reliquias, eadem in ecclesia reconditas, quæ omnia & splendorem ipsius maximum, & amplitudinem ostendunt. Post Vrsum uero Petrum Petriani templi fundatorem, cui nullum certe tunc templum ædificijs, ac ornatu simile fuisse credimus : in quo & trecenta altaria fuisse leguntur, preciosis lapidibus, uarijs item figuris mirum in modum ornatum auro, item & argento, sacrisque uasculis ualde refertum fuisse scribitur. Quo in templo pictura quædam imaginis Saluatoris erat adeo speciosissima, & Dei filio, dum in carne esset, similis, ut similiorem aspicere posset nemo. De qua hæc ipsa legisse memini. Quidam in heremo pater, dominum toto cordis affectu sapissime orauit, suæ incarnationis formam, ut sibi dignaretur ostendere, per multum itaque tempus in ea oratione perseverans : diuino tandem nutu oranti illi, uir candidis indutus uestimentis, & angelico habitu, nocte quadam astitit dicens : Ecce exaudita est oratio tua. Surge, uade in ciuitatem, quæ Classis dicitur, & ibi templum Petrianum quære : quod cum ingressus fueris supra eius templi fores suspice : nam uti optas qualis in carne fui, me pictum in pariete cernes. Qua uisione non parum lætatus, ipse pater heremum

linquens iter aggreditur, & ad eam properat ciuitatem, tendens quo nesciebat. Duo statim ei tunc leones comites fiunt, longa tandem post itinera urbem applicuit. Cum autem templum una cum leonibus ingressus fuisset, eam imaginem diutissime summo studio quaeritauit: quam cum tandem inuenisset, pronus in terram cadens aspexit inquiens: Gratias ago tibi Deus meus, qui non spernis in te confidentes, nec mortem desideras peccatorum, sed inuocantibus te exorabilem praebes. Ecce non secundum mea merita, sed tua pro immensa caritate, desiderium seruuli tui dignatus es implere. Iam satiatus sum thesauro caelesti, diuitijsque locupletatus. Suscipe ergo animam meam Deus, & illam in caelestem aulam ducere digneris, ut ad coenam inuitatus agni merear tuum ingredi regnum, & ad tuam sedere mensam. Quibus dictis, inter rugientes ibi leones spiritum Deo reddidit. At leones humum mox ceperunt pedibus scalpere, quasi cuperent diuini uiri corpus sepelire: Pius interea populus accurrit, & fossoria manu tenens, nimio cum timore, ac ueneratione lambentibus eius uiri membra leonibus, & lachrymas, ut potuerunt, quasi fundentibus, corpus ipsum exanime diligentissime tumulauit. Tunc uero leones unus ad caput, alter ad pedes, rugitu magno perstreptentes, atque eorum colla diuini corporis tumulo submittere cupientes, ambo ibi tandem interiire: quos & iuxta beati Viri tumulum sepelire populus ipse curauit. Sed longe nimis spaciatus sum dum Petrianae aedis dignitatem ostendere cupio. Huic uero Neon successit templi Petri maioris auctor, quod miris aedificijs, ac ornatibus adhuc in Vrbe cernitur. Superantius item fuit, cuius tempore ecclesia Sanctae Agnetis erecta est. Ioannes insuper uir sanctissimus, qui & angelum uidit, cuius tempore Athila Hunnorum Rex, cui flagellum Dei cognomen fuit, Italiam atroci, & saeuissimo cum exercitu ingressus est: qui cum Italiae fines penè uastasset, ciuitates, & castella permulta subuertisset, & populorum cor-



pora mucronibus iugulasset, ad oram Rauennatem tandem properanter animum conuertit, vt & illam rapinis, incendijs, ac ferro deuastaret, præparato igitur exercitu, iter ingreditur, & ad eam festinat urbem. Ac sanctissimus præful Ioannes magnis præueniens fletibus, lamentationibusq; sese orationi dedit, mortem supplex a Deo petens priusquam à perfido, & sæuissimo hoste Urbem suam opprimi, ac excindi videret. Itaque vir sanctus nocte tota peruigil, suis pro ciuibus ad dominum preces effundere non desinit: fixis in terra genibus, expansisque ad cælum manibus dicens. Domine Deus, cuius opera inenarrabilia sunt, exaudi seruum tuum humilem, & peccatorem: suscipe piissime Pater orationem meam: & quas pro ciuibus meis fundo, lacrymæ ad te perueniant. Postquam vero orationem consumauit, lacrymarum rore aspersus de loco surrexit. Postridie vero in diluculo, vir beatissimus quasi Missarum solemniam celebraturus, stola indutus Pontificali, cum sacerdotibus, & uniuersi cleri pompa publicorum de more votorum, ad Regem Athilam, qui in agro iam Rauennati castramentatus erat, iter accelerat. Rex igitur vbi virum sanctum ad se properantem, & suis cum sacerdotibus, & clericis psallentem vidisset, Tanta diuina fuit prouidentia, vt Regis nota solum ferocitas deposita sit, sed pro sanctissimo viro aduersus alium quemque iam ipse dimicare paratus esset, & quos ante proditurus venerat, nunc defensurus omnino videretur. Ait. Unde iri isti candidissimi psallentes veniunt, aut quid sibi volunt? Nunquam profecto huiuscemodi viros mihi videre contigit, qui niue ipsa candidiores, ac cæteris forma præstantiores existant. Et qui inter eos medius est Angelus mihi certe videtur. Cui adstantes responderunt. Rex inuictissime: Vir iste, quem inter candidatos medium cernis, ad te supplex, & plorans veniam, & misericordiam petiturus accedit. Utque tantæ Urbis florentissimæ parcas, & illæsam serues, benignitatem atque



atque clarentis matuam implorat, rogatq; : Nec enim ignorat plurimum virtutis, ac fortitudinis animi tibi infitum, plurimumq; roboris, & ferocitatis militibus tuis ingenitum esse. Vnde tuo isto ingenti, & validissimo exercitu vnumquodq; oppidum, vel munitissimum expugnare facile possis. Proinde vir iste sanctus pro filijs suis animam effundere male decreuit, quàm perpeti eos rari, bellorumq; more trucidari. Rex autem cum intellexisset eum velle pro filij suis obire, interrogauit, quonam modo vir vnus tot filios ex se gignere potuisset. Illi vero non ex conceptu carnis, aut sanguine, sed spiritu sibi adoptatos filios esse responderunt: eorum enim curam gerit, salutem custodit, & pro eis optetere non formidat. Audiens itaque Rex verba huiusmodi, uehementi admiratione tenebatur, & præ stupore in uerba prorumpere non poterat. At paulo post ad sanctissimum Ioannem conuersus ait: Ecce tibi omnia pro uotis concedo: unum tamen est, quod abs te uolo: Ciues enim tui, ut coniectura assequi possum, multum ingenio, & astutia ualent: nolo ut me fraude aliqua deceptum prædicare queant: Quod mihi, exercituique meo non parua ignominia foret. Sanctitas enim tua adeo cor meum placuit, demulsitq; , quòd precibus tuis refragari minime possum. Pergit igitur, celeriterque curato, ut contra fracta muri parte, portisque in terram stratis, mihi, & exercitui liber uobis pateat ingressus, per mediam enim urbem transire decernimus, nulli quidem nocere uolentes, nec ullas molientes infidas, hoc ideo constituimus, ne quis dicat, Ra-uennam demoliri, aut subiugare non potuit, sed ibi cum exercitu suo contritus est, aut terga dedit, & in fugam uersus est. Itaque Rex fidem sanctissimo uiro adhibens, Ra-uennæ fines omnino egredi pollicitus est. Mox igitur beatissimus præsul ad Urbem rediens summa cum celeritate de cardinibus portas excuti iussit, murumque confringi, atque aditum Regi patefieri. Sic postera in luce aduentante,

Rauennam Rex ipse ingreditur cum omni exercitu, stratas huius portas equorum pedibus calcans, cui uestes cum clauibus in subditæ ciuitatis indicium oblatae sunt. Ciues vero magno perculsi timore, Regem formidantes, gementesque lacrymis, & suspirijs caelestem inuocabant dominum, Rex itaque procedens ciuitatem absque ciuium læsione egreditur, cunctis passim ciuibus immensas Deo gratias agentibus, Cæterum ne nimis nostra protrahatur oratio, hæc in præsentiarum de sancto viro dicta sufficiant. Successit inde Petrus Rauennas, uir sanctissimus, & litteris eruditissimus, qui plures sermones, ac homelias edidit, Aurelianus, item Ecclesius, is qui templum Mariæ Maioris ædificauit. Post hos Ursignus, atque Victor, qui altare argenteum in maiori templo, ac testudinem illam ex argento purissimo, tam splendidissimam erexit. Maximianus quoque Vir miræ sanctitatis, qui templi Beati Andree fundator extitit, in qua corpus eius reconditum esse conspicitur. Idem etiam Mariæ templum in ciuitate Polensi, & multa alia templa summa religione construxit, qui quidem licet alienigena esset, quod nunquam antea cõtigerat, tamen Rauennatem adeptus est Pontificatum, & in hunc, ut legimus, modum. Nam cum in templo Polensi diaconus esset, die quodam in horto, ut semina iaceret, terram fodiebat, forte autem terram subleuans, quoddam uas fodiendo reperit, quod cum aperuisset, & aureis nummis refertum uidisset, consilio statim excogitato eo quòd res diu latere non poterat, bouem occidit, euacuatumque eius uentrem, & subtulares quales ex hircorum pellibus fieri potuerunt, aureis illis repleti numismatibus summopere curauit. Reliquam uero thesauri partem Constantinopolim profectus, ad Iustinianum tunc Imperatorem detulit. Quam Augustus cum accepisse, post gratiarum actiones, an eo plus ibidem fuisse diligenter exquisiuit: at ille nihil amplius, nisi quantum ipse in uentrem vnum, & par solatarium

rulariũm exposuisse . Putauitque Cæsar, quòd de v'ctu cor-  
 poris, & pedum calciamentis diceret . Interea contigit,  
 vt victor Ecclesiæ Rauennatis Archiepiscopus è vita disce-  
 deret . Ciuesq; Rauennæ ad Imperatorem, vt pallium po-  
 stularent, pro electo iam præfule oratores mitterent . Im-  
 perator autem, cui animo infedebat, velle beato Maxi-  
 miano, pro ea quam in se fide demonstrat parem referre  
 gratiam Legatis præcepit, vt paucos dies expectarent .  
 Moxq; Maximianum virum sanctissimum, à Virgilio Pon-  
 tifice, qui tunc in ciuitate Patrarum, apud Achaiam resi-  
 debat Archiepiscopum templi Rauennatis creari, con-  
 secrarique studuit . Quibus peractis, dato ipsi pallio, Ra-  
 uennam misit . Quo cum aduentasset, Rauennatibus cum  
 suscipere nolentibus, apud Basilicam beati Eusebij, extra  
 ciuitatem aliquandiu moratus est . Tandem vero reconcili-  
 atis sacerdotũ, ac ciuium animis, maxima cum iubilatione  
 susceptus est . His etiam annumerandus est Agnellus, qui  
 vt conijcio Agathæ templum exædificauit : in qua & postea  
 sepulturæ mandatus est, Petrus item senior, à quo & sancti  
 Seueri templum in Classensì olim oppido ædificijs subli-  
 mibus constructum est . Præter hos fuit quoque Grægius  
 vir sanctus, multa laude dignissimus præsul, qui plura de  
 Rauennatibus ciuibus, ciuitateque ipsa prophetico affla-  
 tus spiritu longe ante prædixit . Multos porro alios præsu-  
 les Rauennas habuit templum sapientia, moribus, & san-  
 ctimonia insignes, quos hic nominatim referre longũ esset,  
 atque id libelli modum excederet . His igitur contenti erim-  
 us, si prius tamen duo nostrorum temporum miracula  
 magna quidem stupenda conscripsero, quæ & cæterorum  
 nobis fidem præstabunt, & Rauennatem Urbem plane  
 ostendent, magis sanguine martyrum & præsulum sanctita-  
 te, quam armis semper munitam extitisse . Fuere temporibus  
 Galcotti Malatestæ, Arimino dominantis, qui ad eum  
 profecti dicerent, Urbem Rauennam ciuibus fere omnibus,  
 & tyran-

& tyranno Guidone Polentefio ob pestilentiam in agro com-  
morantibus, facilliter ab ipso capi posse. Quod cum audisset,  
& ab exploratoribus, ita esse intellexisset; haud factu diffi-  
cile existimans, etiam si ui, atque armis id agendum esset. Ad  
hoc conficiendum militum quàm maximas potest copias pa-  
rat, Rusticanorum etiam multitudine non parua ex agris col-  
lecta, die constituto, magno itinere, Rauennam petere con-  
tendit. O res admiranda, & omnibus sæculis inaudita: cum  
iam Rauennæ noctu appropinquaret, murosq; conspiceret,  
& nonnulli iam admotis scalis eos conscendissent, tantam  
promœnibus armorum, atque hominum copiam uidere ui-  
sus est, ut non uacua ciuitatem, sed ut ita dixerim Xerxis  
exercitû intus esse existimaret: inter quos facibus accêsis, &  
ferro accinctos, uidere uisus est beatos Martyres, ac Rauen-  
næ patronos Vrsicinum, & Vitalem. Quibus admôdum per-  
territus exclamauit. Plane ego deceptus sum, atq; in hostiû  
manus me proditû esse conspicio. Nec parui sane faciendum  
sibi uidebatur, si Ariminum incolumis redire potuisset. Itaq;  
attonitus è uestigio celeriori gradu, quàm Rauennam uene-  
rat, Ariminum confugit, inq; fuga luminibus captus est, nec  
multo post obiit. Tres præterea ex his, qui mœnia conscen-  
derant, à Guidone tumultu exaudito capti, laqueo suspensi  
sunt. Atque eo modo ciuitas ab imminente periculo, optimi  
Dei auxilio, & sanctorû præsulû precibus libera ta est. Aliud  
præterea facinûs referâ, magnum, & admirabile, & supra ho-  
minum fidem. Paulopost ubi Rauenna sub æquissimum Ve-  
netorû Imperium deuenerat, Guido Antonius Mâfredus  
Fauentiæ tyrannus cû agresti homine, & quibusdam militi-  
bus, qui à Venetis in præfidiû missi Rauennæ habitabant: de  
prodenda sibi ea ciuitate cõspirauerat. Cuius facinoris perfu-  
ciendi modus haud inepte inter eos talis excogitatus est. Mit-  
teretur siquidẽ primû cû rustico homine ad uiginti pedites,  
qui curru frumenti manipulis onerato abditi in Urbẽ uehe-  
rentur, atq; ipse Rusticus pontẽ cû iâ plane dimẽsus esset, pri-

mus occuparet, & in eo simulata currus, uel iugi fractione subsisteret, donec hi milites, qui inter manipulos latitabant, ad portam Urbis Adrianam, pontemque occupandum defiliissent, Subinde milites coniurati Rauennæ habitantes summo mane intro per vicos eidem portæ propinquos passim vagarentur, mox ad omnem tumultum ad portam ipsam ex altera parte occupandam accursuri, Cæterum quadringenti equites, & totidem delecti pedites, Guidone Benzono duce, cum iam oriri dies uideretur, Rauennæ appropinquantes in loco Torefij ualde Vrbi propinquo latitarent, Vt signo dato, quòd uoce hominis fieri potuisset, ex insidijs ad ciuitatem cursu quidem celerrimo properarent. Conuenerant autem, uti linteo hastæ circumligato, quamprimum Rauennates milites portam aggressi forèt, signum promœnibus darent. Postremo persæpe missis nuncijs ad Guidonem Antonium, qui fere per unumquodq: mille passuum de certo itinere militum referrent: sequeretur ipse magna cum ciuium Fauentinatorum, & hominum agrestium multitudine, quos eo in agro audacissimos esse cognouimus. Nec profecto dubium erat quin portam, & eam partem ciuitatis, ac forum tenuissent priusquam rumor ad ciuium, ac militum nostrorum aures peruenisset, aut quisquam eorum arma cœpisset. Quod nisi Deus ex alto prospiciens tam immane facinus patrari prohibuisset, quanta illo die cædes, quanta clades, quanta calamitas ciuibus nostris illata fuisset? quando ipsi tyrannidem à qua nuperrime se liberauerant ferre noluisent: & illi e contra armati iam ferme tota Vrbe potiti essent: hoc firmato consilio tandem circiter Idus Iulias dies facinoris conficiendi aduenerat, Dumque omnia parata essent, milites præmittuntur, qui cum Raffanariæ flumen circa vigiliam secundam noctis traiecissent: non ultra progredi, sed aliquandiu ibi morari constituere ea potissimum ratione, quòd non amplius quàm decem millia passuum à ciuitate distarent, & essent loco siluestri, & ab incolarū habitatione satis remoto:

ne forte

ne forte, si ultra progredierentur, aut strepitu pedum, aut hinc equorum rē incolis patefacerēt. Nec enim ulli dubium est, quin re cognita, longo noctis spatio permulta eis aduersa fieri potuissent. Igitur omnes equis descendentes ibi constitere, Dumque humi quidam requiescerent: alij inuicē confabularentur: primum equi eorum repente inter eos tumultu exorto, ab ipsis aliquantulum discessere. Dehinc è uestigio quis credere posset cœpere milites, hinc inde per agros ueluti insani, & amentes uagari, plerique armati trans amnem ferri, omnes uulnerari, nec dum uulnerarentur, sentire, nec à quo ictus inferrentur dignoscere, quippe, qui neque sui, neque rerum suarum meminissent. Itaque omnes ea nocte sine mente huc, atque illuc errauere. Sed cum iam dies exortus esset, cuncti sibi respiscere uidebantur. Tunc uero unusquisque sua, & aliorum uulnera cernere, nihil dicere, omnes admirari. Iam uidere potuisses magnam, & admirandam facti atrocitatem, & ipsum Guidonem oculo euulso, & tenui neruo pendente faucium, ac omnes alios mirum in modum uulneratos. Cernere erat habenas, phalerasque equorum immutatas, hastas omnes, ac thoraces contractos, nullumque suis, sed alienis inuicem uestibus commutatis, & nobilissimum quemque fordidissima ueste indutum. Vidisses namque Federicum comitem Urbini pannosa tunica uestitum, in sinu pateras quatuor habentem, quas puero suo dederat post se deferendas. Sed id certe mirabilius fuit, cum multi letaliter uulnerati essent, nulli tamen eorum interiere. Guido itaque Benzonus oculo, quoniam non omnino erutus esse, sed tenui neruo suspenderetur, eo suum in locum reposito liberatus est. Quattuor tantum equos in loco, ubi cõstiterāt, mortuos reperiuerunt. Multa præterea alia ibi contingere, quæ breuitatis causa prætermittenda censui, quando mihi satis dictum uidetur pro stupenda rei magnitudine. Quæ adeo mihi incredibilis uisa est, ut diu anceps fuerim scribenda ne, an penitus reticenda foret. Atque eo uehementius, quoniam minores nostri, rem istam



secum putantes, quasi id fictum, & pro falso iudicabunt. Qui si cogitauerint à quibus ego uiris, nec uno contentus id sciscitatus fuerim, qui huic rei interfuere, profecto existimabunt me magis uera, quàm falsa conscripsisse. At si erunt nostris temporibus, qui minime crediderint, adsunt qui huius rei, & uiri quidem egregij testimonium perhibeant, ex quibus aliquos, qui huic rei interfuere, quoniam clarissimi sunt, non unare constitui. Federicum. s. Comitem Urbini Principem Firmanum, Colam Antonium equitem Neapolitanum, Raymundum, & Antonellum Nucerenfes, Scaramuciam Romanum, & strenuum Guidonem Benzonum, à quorum nonnullis, & permultis item alijs, tum interrogans, tum ipsis ultro prædicantibus diligenter didici: hoc autem tam grande, & certe inauditum miraculum optimi, & maximi Dei potentia factum esse, quis dubitet, & beatorum Martyrum, præsulumque nostrorum auxilio contigisse? Profecto postquàm ad aures meas ea peruenerunt, Archiepiscopi Gratioli prophetia sæpissime uenit in mentem: cuius ista sunt uerba. *Rauenna Vrbis nequaquam ab hoste capieris: uerum paulatim destrueris inuidia. Ideo nunquàm compertum est, uel ui expugnatam, uel prodicione captam fuisse, nisi omnibus, aut maiori ex parte ciuibus sese dedentibus.* Nam Theodoricus Gottorum Rex, licet ducenta millia armatorum haberet, & eam triennio obsedisset: tandem urbe nequaquam potitus est, nisi icta pactione cum ciuibus, & Odqacro. Sed de præsulum sanctitate hætenus: nunc autem uetustissimas quasdam inscriptiones, & epigrammata, quæ marmoreis in lapidibus cernuntur, quia antiquissimam illam eruditionem, & nobilitatis uestigia præ se ferunt: hic interserere non erit inuicundum, licet in calce operis omnia ordine quodam apponere statuerim, quæ non paruam Urbis nostræ dignitatem, ac uetustam excellentiam ostentant. Omitto tamen quas dixi litteras ad portam Auream incisas: fat est enim illas semel commemorasse. Aliæ quædam inscriptiones pluribus in locis reperi-



cis reperiuntur : & in primis apud diui Petri ædem marmoreo in sepulchro inscriptio vetustissima .

Flauix Quinti filix Salutari coniugi rarissima, Lucius Publicius Italicus decurio ornauit, & sibi viuis posuit, hic Collegio Fabrum militiae Rauennatis, sextertios triginta millia non viuis dedit, ex quorum reditu quotannis Decurionibus Collegij Fabrum militiae Rauennatis in æde Neptuni, quam ipse extruxit die Neptunaliorem præsentibus sportulis denarij bini diuiderentur æde decurie vigesima octo suæ, denarij centeni quinquageni quotannis darentur, vt ex ea summa sicut soliti sunt, arcam Publiciorum Flauiani, & Italicum filiorum, & arcam, in qua posita est Flauia Salutaris vxor eius, rosis exornent de denarijs viginti quinque, sacrificentq; , ex viginti sextertijs, & de reliquo ibi epulentur, ob quam liberalitatem, Collegium Fabrum militiae Rauennatis inter benemeritos quotannis rofas Publicijs supra sepulchrum, & Flauix Salutari vxori eius, mittendas ex denarijs viginti quinque, sacrificiumque faciendum de viginti sextertijs per Magistros decreuit .

IBIDEM etiam in porticu exteriori marmoreum sepulchrum extat, in quo clarissimi Poetæ Dantis; Aligerij corpus situm est, cuius epitaphium, quod sibi mirum composuit, in ipso marmore incisum tale est.

*Iura Monarchiæ superos Flægethona, lacusq; , I*

*Lustrando cecini, voluerunt fata quousque .*

*Sed quia pars cecidit melioribus hospita castris, I*

*Auctoremq; , summi petijt scælicior astris .*

*Hic claudor Dantes patrijs extorris ab oris .*

*Quem genuit parui Florentia mater amoris .*

Alio in sepulchro, apud ædem S. Ioannis Euangelistæ.

AURELIAE maternianæ coniugi incomparabili, quæ vixit annis mecum uiginti duobus, sine vlla quærela Aurelius liberalis maritus .

Item in eo loco.

**SERGIA** Olympias sibi, & Lucio Sergio Ruffo filio,  
& Lucio Caltilio Tespio. hoc monumentum hæredes  
non sequitur.

Ad ædem sanctæ Agnetis.

**DIIS** manibus, Aulus Fabius, Onesimus vius fecit  
sibi, & Martiæ Nymphæ coniungi optimæ.

Apud ædem Cathedralẽ.

**AVRELIAE** Matidiæ, Marcus Aurelius Iustus, & Au-  
relia Marina, sorori, & infanti dulcissimæ, bene merenti  
posuerunt.

In eadem æde.

**BONIS** manibus Aulus Suuius, Marinus sibi, & con-  
iungi suæ, Aureliæ Theoderæ dulcissimæ femine vius  
posuit.

In Ecclesia sancti Apollinaris, in Classe.

**DIIS** manibus Valeriæ Didiciæ, Valeria tertia matri  
pientissimæ.

In sacrario eiusdem ecclesiæ.

**CAIUS** Iulius, Prisci vixit annis sex, mensibus de-  
cem, diebus octo, Iulius germanus armorum custos, &  
Valeria Marciana parentes.

## In porticu eiusdem ecclesiæ.

PVBLIVS Aelius, Cissus sibi, & Ligariæ Ammiadi vius posuit, in agro pedes quindecim, infra pedes viginti quinque. Hic locus hæredem non sequitur.

COMPLVRA alia epigrammata, & inscriptiones hinc inde integræ, sed plures constractæ reperiuntur. Quæ & singulatim referre longum esset, sat erit de multis hæc pauca adduxisse, quæ nobis abunde maximam Urbis vetustatem insinuant, plerasque aliàs, vt suis in locis reperiuntur in fine libri scriptas collocabo. Sed nec illud Herculis cœlum collo ferentis simulacrum, adhuc magna ex parte integrum, quod vario olim delusa errore gentilitas, pro numine coluit prætermittendum censui. Mirabile quondam, & præclarum, vt plane constat opus, ab eo etenim quædam Urbis regio etiam in hodiernum tempus Herculana denominatur. Hunc quoniam de sanctitate, dignitate, ac Urbis vetustate nostræ satis dictum videtur. De vastatione deinceps explicandum esse existimaui.





# DESIDERII SPRETI

## RAVENNATIS

De Vastatione Urbis Rauennæ.

### LIBER SECVNDVS.



**Q**VAMPRIMVM ciuiles discordiæ, ac bella intestina exorta sunt, Vrbs ipsa Rauennæ, quæ, vt ostendimus, florētissima fuit, uastari, & quodammodo ruere cœpit. Nam ut inquit Salustius, Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Vrbs etenim Rauenna, ut supra commemorauimus, generosis olim ciuibus ornata, ac illustrata fuit, Quos cum ex opulentia, atque otio, ut accidere sæpe uidemus, auaritiæ, ac Imperij cupido inuasit, sese omni iniuriâ, atque contumelia assidue uexare, ac laceffere cœperunt. Hinc cædes, atque rapinæ, hinc nefanda facinora, ac horrenda scelera patrari. Moxque ciuitas in deterius prolapsa est, & in hanc, quam dicturi sumus uastationem, ac miserandam solitudinem deducta est. Quibus quidem de rebus succincte dicere aggrediar, non longe exordia repetens, sed recentiora quædam, & nostris magis propinqua temporibus. Trauersarij

uerfarij igitur, ac Polentefij eius Urbis potentiffimi ciues  
 fuere genere, opulentia, ac uiribus infignes, & præditi, qui  
 cum inter fe ob principatum diffiderent, armisque conten-  
 derent, alteri alteros ex Vrbe eiicere conati funt. Hinc ab  
 eis factiones non paruæ aliquando in ciuitate fufcitatae fue-  
 re. Contigit uero nonnunquam, ut Trauerfarij, Polentefios,  
 & quofdam factionis eorum ciues eiicerent, quofdam ca-  
 ptiuos efficerent, nonnullos etiam interimerent, ædesq; plu-  
 rimas euerterent, atque Vrbe tandem audaciffime potirentur.  
 Idem quoque in Trauerfarios aliquando à Polentefijs  
 factitatum eft, qui uictores facti, urbem etiam aliquandiu te-  
 nuere. Quo effectum eft, ut alternis fortunæ uicibus nunc hi,  
 nunc illi honores, dignitates, magistratus Urbis cõfequeren-  
 tur, plebem uero, & reliquos ciues largitionibus profufis,  
 ac impensis immoderatis allicere enixiffime ftudebant:  
 multos subleuare, & alere plerofque tum nobiles, tum ple-  
 beios beneficijs fibi deuincire. Quibus audaciores facti,  
 summam dominationis facilius obtinere poffe arbitraban-  
 tur. Cæterum Oftafius quidam equeftris ordinis ex Po-  
 lentefiorum familia, uir ad omnem rem, & facinus prom-  
 ptiffimus, tanta discordiarum femina iacta perfpicieus, Vr-  
 bem ipfam per tyrannidem occupare non dubitauit, ut pro  
 eius arbitrio, atque libidine folutis legibus ciuitatem rege-  
 ret, Itaque effecit, cui deinceps in tyrannide fucceffere Ber-  
 nardinus Pandolphus, & Lambertus fratres eodem Ofta-  
 fio progeniti, ab ipfoque Bernardino, Guido genitus, à  
 quo alter Bernardinus, alterque Oftafius Oppizo, Aldro-  
 uandinus, Azo, & Petrus, & ab Oppizone Oftafius omnium  
 nouiffimus, qui quidem Rauénæ Urbis dominationem per-  
 petuo annis iam centum, & quinquaginta tenuere: tot. n. ab  
 Oftafio primo in eam ufque diem, qua Oftafius hic ultimus  
 eiectus eft, connumerantur. Quos tametsi ab initio domina-  
 tionis modeste, humaneq; Vrbi quodã modo imperaturos  
 effe oës iudicarent, tamẽ adeptum post dominium quædam

eos ob dominandi cupidinem suspicio, sœuitia, atque crudelitas inuasit, ut sub ipsis quidem, ut ita dixerim, ne oscitare quisquã auderet, cum libere dominari cœpissent, nobilitas omnis perterrita, & uehementer perculsa est. Siquidem ciues uniuersi, qui tunc in Vrbe pollebant, comminutis eorum facultatibus, atque potentia, aut in uincula coniecti, aut proscripsi fuere, Complures etiam nobiles, ac spectatæ familiæ in exilium actæ sunt: quarum aliquas hic referre haud alienum putauit, Exularunt nanque Honesti, Trauersarij, Bichi, Pochepenni ex Ghecijs, & Saxiis, aliqui, Geruasij, Frixij, atque Genarij: omnes quidem egregiæ, honestissimæque familiæ, Permulti etiam præstantes, & generosi ciues ab ipsis Polentesijs tyrannis ultimo supplicio sunt affecti, e quibus recentiores quosdam recensero, ut eos omittamus, qui in initio, & progressu dominationis eorum interiere, quoniam non omnium memoria ad ætatem nostram usque peruenit. Egidius scilicet Martellinus iuriconsultus. Arardus Spretus egregius, & præstans ex nostra familia uir, Nicolaus Tuduranus, & Gulielmus Mongardinus, omnes certe uiri optimi, atque sapientes. Nec aliã certe ob causam isti ab Oppizone Polentesio diuersis temporibus sunt trucidati, nisi quia illi nimis ei sapere uidebantur. Plerosque alios ornatissimos quidem ciues enumerare possem, quos ea uis tyrannica, uel proscripsit, uel interemit: sed eos ne longior essem missos facere constitui. Denique, ut paucis absoluam, tanta tyrannos illos dominandi cupido inuasit, ut non modo in alienos, uerum etiam in se ipsos plurimum sœuisse comperit habeamus. Nam Pandolphus, & Lambertus, uti accepimus, in oppido Ceruia, cui tunc dominabantur, Bergardinum fratrem natu maiorem in carcere uinctum tenuerunt, A quo tandem cum exemptus fuisset, eisdem & ipse, ut par pari referret, in uincula coniecit. Guidonem uero gnati proprij perpetuo inclusum carcere damnarunt. Oppizo autem, quo liberiore, ac securiore Urbis ditione potiretur, Aldrouandini



uandini germani mortem: cæteris iam extinctis fratribus nefandissime procurauit. Proh facinus: nihil acerbius, nihil immanius, nil deniq; sceleratius facere potuissent, quàm se ipsos, & fratrem frater, & patrem filius, cæca libidine, & cruentis manibus trucidare. Quædam insuper alia nostra hac ætate in ipsius Urbis perniciem, ac interitum contigerunt, quæ haud arbitror omittenda. Ostasio nanque, quem proxime nominauimus, huic almæ ciuitati nouissime impetrante: Nicolaus Picininus, qui pro Philippomaria gentium armigerarum dux, & moderator erat: eiusdem forsitan Principis iussu e Liguria mouens, cum ingentibus equitum, pedicumque copijs, traiecto Pado per agrum Bononiensem Rauennam uenit, eamque obsidere constituit. Quare ad Ostasium primo, & Rauennates Legatos mittens, certam ab eis pecuniæ quantitatem expetere simulauit, quæ si non exhiberetur, bellum indixit. Tandem cum in tela, ac sagittas, & alia huiuscemodi, quibus se uiriliter tuerentur potius se exposituros, quàm in decore, ac uiliter quicquam sibi daturos esse, per Legatos intellexisset, cogitauit Urbem ipsam si modo efficere potuisset, expugnare. Igitur non ultra cunctandum ratus, cum exercitu per casus agri Rauennatis euolans permulta, ut ita dicam, uinaria uasa ad portum Rauennatem, qui in mare ducitur, supra amnem afferri iussit, & lignis inter se quàm firmissime colligatis, ac desuper compositis, pontem ualidum constituere, ac in flumen demittere curauit. Itaque totis uiribus transire conatus est in insulam Palazoli, ultra ipsum amnem sitam loco satis tuto, & non parum munito: nam ipso amne, mari, Pado, ac fossa quadam ex paludibus in Padum deriuata, ipsisque paludibus cincta est, quæ difficillimum sibi præstant ingressum. Facile enim ciuitatem opprimi, ac uinci posse arbitratus est, si eam insulam, in qua iumenta, boues, & cætera animalia, quibus Rauennates maxime abundant, tuta, & ab hoste secunda seruantur, occuparet. Tamen nisi aduersante fortuna, nostri

ipsi, qui hostibus uiriliter obstabant, cessissent, non ita facile pontem demississet, resistentibus e medio amne ratibus armatis Venetorum, quibus nobilis, ac præstans uir Maphæus Molinus tunc præerat, nonnullis etiam peditibus duce Antonello de Tolentino, quorum uirtutes, & uirili pugna, hostes ita perculsi, ac perterriti fuerant, ut ad ipsum amnem non sine metu pugnare contenderent; Sed in Mariæ monasterium, quod ibi insigne cernitur, se recipientes, illud sua pro tutela seruabant. Accidit autem casu quodam, ut Maphæus Molinus, in cuius manu omnis ferè salus nostra tunc reposita erat, dum strenue ageret, hostesque ualde reprimeret, tum machinarum ictibus, tum telis, & alijs e ratibus ipsis in hostem submissis, ignem machinis ministrans, incendio in eum uerso totam fere faciem ureret: quo euenit, ut ea pugna relicta, sibi medendi, ac reficiendi gratia se in ciuitatem reciperet. Reliqui etiam, qui eo duce hostibus obstabant, perterriti nulla ui fugati in Urbem retrocesserunt. Antonellus uero, qui ex ripa fluminis hostes ualido impetu reprimebat, Maphæo excedente ab hostibus ponte in flumen demisso, suis cum peditibus ueloci quidem cursu ad ciuitatem properauit. Hostes igitur ponte demisso in insulam conuulsuere, & eo loco occupato per totam insulam, & usque ad portam ciuitatis, quæ Anastasia dicitur, uagari, ac discurrere coeperunt: quicquid uel hominum, uel iumentorum obuiam fuit, rapientes. Interea magnanimus dux Estorgius Manfredus, qui cum Nicolao tunc militabat, ducentis cum equitibus Bagnacauallum oppugnaturus proficiscens illud Nicolai ope, & consilio, cæteraque Rauennæ oppida, incolis tamen sese deditibus nulla ui, nulla etiam pugna suscepit, & suæ ditioni subdidit. Ostasius igitur ciuitate Rauenna ab hostibus obsessa, afflictisque rebus Legatis ad Nicolaum missis rem cum eo componere studuit. Summa rei hæc fuit: ut libere Ostasius ciuitati dominaretur, Ducisq; mediolani tutelæ, ac commendationi subiiceretur. Venetos uero,

uero , quorum tutela tam diu Polentefij feruati fuerant , eij-  
 ceret , hoſtesque inſenſos iudicaret immemor paternæ iuf-  
 ſionis : Mandauerat enim ſibi pater , ne à Venetis unquam  
 diſſentiret . Tria etiã millia denariorũ aureorum ſibi idem  
 Nicolaus enumerari , tribuique ob Oſtaſio pactus eſt , non  
 abiturus , niſi receptis . Nec mora fuit ea inita pacto il-  
 lorum partem e manibus ciuium , ac ruſticorum extortam ,  
 partem ex ipſius Oſtaſij pecunijs ad Nicolaum mitti . Pepi-  
 gerant etiã , ut oppida , quæ nuper ab Eſtorgio capta dixi-  
 mus , reſtituerentur : ſed id minime effectum eſt Eſtorgio reſi-  
 ſtente . His itaque geſtis Oſtaſius forte quibuſdam nuntian-  
 tibus audierat , quòd ciues regno priuare , eiicere , & alium ſi-  
 bi Principem præſſe optarent . hæc prudenti , ut erat animo  
 ſecum uerſabat , Nonnullisque accerſitis ciuibus coram af-  
 fatu paucis interrogauit , an ſe , an alium ſibi Principem  
 præſſe affectarent , idque ſibi , ut palam , & aperte dicerent ,  
 iuſſit . Ita ut imperium ſponte quodammodo renuntiare ui-  
 deretur , ſed ciues ſua quadam innata manſuetudine id quod  
 ab Oſtaſio dictum erat , libenti animo accipientes , ut eum  
 Principem denuo confirmarent , facile conſenſerunt . per id  
 uero tempus Nicolaus haud ſegnus , & otioſus fuit : ſed ad  
 alias Flaminix ciuitates , & loca exercitum ducens , Rauennæ  
 nonnullis delectis peditibus in præſidio relictis Forum  
 Liuij primo à ciuibus ſeſe Antonio Ordelaſſo ſubiicientibus  
 inde Forum Cornelij , ac Bononiam Urbem præſtantiffimã ,  
 & oppida permulta in ſuam poteſtatem , & ditionem rede-  
 git . Sed inſtitutum noſtrum proſequamur . Oſtaſius paren-  
 tem , & alumnam ſuam illuſtriſſimam ſcilicet Venetorum  
 ceſſitudinem , à qua tam diligenti cura , & paterna fuerat di-  
 lectione tutus , deſcens Philippo Mariæ , ac Nicolao Picini-  
 no , quem non niſi hoſtem etiã inſenſum antea nouerat ,  
 adhæſit , Id ſibi longe profuturum confidens : ſed eum ſua  
 ſefellit opinio . Poſtea itaque imagines , ac picturas omnes  
 Sancti Marci , & alia præclara Venetorum inſignia , quæ  
 Rauennæ

Rauennæ multis in locis ob ciuium omnium in eam inclytam Venetorum dominationem obseruantiam picta, & impressa erant, ex omni parte deleri, & anguem illum tortuosum publicis in locis pingi studiose curauit. Incredibile uero quidam accidit. Nam Ilarius quidam Parmensis carpentarius incola Rauennæ, cum sponte sua imagines, ac picturas ipsas ex omni loco dirimeret, & propria manu deleret, repente omni cum prole sua uita excessit. Eius igitur draconis præsentia perinde, ac alicuius teterrimi hospitis, abhominabilisque prodigij mox pestiferi ciuiliū simultatum, discordiarum, seditionumque ignes, per totam ferme ciuitatem incensi sunt, Ita prioris mansuetudinis, ac humanitatis oblitū fuere, ut non amplius Rauennates, sed raptores homicidas, ac seditiosos homines posses appellare: non omnes quidem, sed plebeios quosdam, & abiectos homines, qui malo huius Reipublicæ nati fuerant. Cum hi uiros quidem optimates, ciuesque præstantes per omnem iniuriam, atque contumeliam continuis insidiis uexarent, quæque ad Reipublicæ, ac ciuiliū perniciem, & interitum pertinerent, omni studio, omni que conatu molirentur, & agerent: nulli rei magis studentes, quam ciues, & uiros bonos perturbare, quosdam eiicere, quosdam necare, quosdam uarijs contumelijs laceffere. Per dies, noctesque furta, rapinæ, & reliqua permulta malefacta patrabantur. Omnia per libidinem, & animi intemperantiam eis agere licebat. Quid agerent, quose ciues optimi uerterent minime sciebant: hac etiam tempestate permulti nobiles uiri, & alij complures crudeli nece perire: quorum hic necem interficere non erit incongruū, nec à re nostra alienum. Rustici quidam è manibus, quorum idem Ostasius pecuniam, de qua supra diximus, tum maxime extorquere studebat: armata ad forum manu procurrentes: ubi de solutione contenderent, ac recusarent, repente è foro fugati ad proprias domos festinare cõpulsī sunt. Inde nonnulli in carcerem coniecti manibus, ac pedibus uincti,

vincti, nonnulli, & laqueo suspensi uitam finire. Ioannes item, cui Malafra agnomen erat, hostis interea habitus: sed quid in patriam egerit, aut molitus fuerit, non satis compertum habeo, non contenti, quòd in patibulo obiisset, eius etiam carnè quàm sœuissime dilaniarunt. Cum hæc esset conditio rerù, ciues nonnulli, quorum è numero fuerunt, Opizo Munaldinus, Franciscus eius frater, Matthæus Balbus, Iacobus Tombesius, uiri optimates: & quidam alij pendenti ciuitatis ruinæ forte succurrere statuentes clam ad Illustrissimum Venetorum Senatum mittunt, sibi que tradere ciuitatem paciscuntur. Tempus quidem, & modum ad rem parandam constituunt. Per id tempus Ostasius, & ciues permulti à ciuitate ob pestem, quæ illam tunc ualde urgebat, aberant. Re igitur per hunc modum constituta, quingenti delecti pedites nauibus uecti Raennam in portum Pirocoli eiusdem Senatus iussu mittuntur, ad hanc rem quàm maxime perficiendam: hæc autem, & inter ciues ipsos summo fuerant consilio prouisa, ut inde nocte pedites mouerentur, & ad ciuitatem accederent, perpauci quidem in occulto sub portam ciuitatis, quæ Anastasia dicitur, collocarentur. nam prima luce ea porta referari consueuerat. Reliqui uero omnes in Mariæ, ut appellant, in rotundo monasterio eidem portæ fatis propinquo, in insidijs consisterent, donec perficiendæ rei tempus aduentasset, cum eis erat Franciscus ipse, de quo diximus, factum accelerans, Intus uero ad portam quidam ex ciuibus ipsis adessent: ut cum porta iam plane aperta foret, utrinque præoccuparetur: qua capta pedites ciuitatem ingressi, tum terribili, atque repentino tubarum fonitu, tum uocum clamoribus pro inclyta se Venetorum celsitudine aduenisse significarent. Haud dubium erat, quòd ciuitatem summa pace in manu habuissent, ob fidem integram, ardentissimumque amorem, quo eidem Imperio Veneto Raennates deuincti semper fuere. Verum peditibus ex portu iam dicto ad ciuitatem nocte properantibus, rustici quidam

quidam egressi ciuitatem, ut ligna ex pineto plaustris importarent obuiam fuere, quibus non sano consilio prætermisissis, unus ad Ciuitatem diuerso properans itinere, pedites præuenit, hostesque adesse nunciauit. Per hunc modum res prodita est, & suum omne consilium irritum fuit. Sed cum dies illuxisset, rem hoc modo experiri statuerunt, inœnijs ciuitatis appropinquantes, ciues, qui pro mœnibus stabant, uocarunt, atque eorum unus, qui cæteris præerat uerba faciens: Quid aliud, inquit, cupitis Rauennates, quàm quod saluti, & amplitudini uestræ conducere potest facile consequi? Nos introducite, qui pro Illustrissimo Venetorum Senatu uenimus, Accepturi enim estis proculdubio quicquid pro salute ciuitatis, & uestra concupiscitis. His uerbis nil aliud responsum est. Sed cum significaretur Venetos adesse, tum ad portam, tum ad forum, Oppizo, & cæteri, qui rem animo gerebant, concurrere, dumque in foro conuenissent, in sequenti ciuium corona, ita palam exorsus est Oppizo. Audio, inquit, uiri optimi quosdam pro inclyta Venetorum celsitudine extra urbem prope mœnia adesse, qui non nisi salutem nostram, & ciuitatis amplitudinem ex petere uidentur, Suadeo itaque eos absque mora in Urbem admitti, ac introduci debere, & iustissimo nos Imperio subdere. Sciebat enim eos, qui tunc in foro conuenerant, id nequaquam moleste fere: sed libenter, ardenti que animo suis uerbis assentire. Nec eum certe sua fefellisset opinio, nisi unus omnibus alijs tacentibus, non dicam respondisset, sed stricto gladio comminatus esset, Neque certe fuit alius, qui in tanta ciuium frequentia illius sententiam improbareret: his ita factis, dictisque; cœtus omnis è uestigio solutus est: & suos quisque lares petere festinauit. Nec fuit qui hanc illius sententiam, uel ex coniuratoribus comprobaret. Oppizo autem cum iam manifeste cerneret, omnia in caput suum agi: ciuitatem egredi decreuit, & huic tam imminenti periculo cedere. At pedites, & Franciscus Monaldinus cernentes



cernentes suum omne consilium frustrari, etiam abire statuerunt. Cumque Oppizo iam tenui iuuenum manu stipatus abiret, & Celenam uersus iter faceret ingruentibus tenebris apud roncum agri Foriliuij cum suis omnibus hospitio se recepit. Ibi nocte cum plane iam res ipsa uulgata foret: à rusticis quibusdam captus suspicionis dumtaxat proditæ urbis gratia, uinctusque Forumliuij ad magistratus diligenti custodia ducitur. Ibi uero minis, & tormentis compulsus coniuatos, & rem omnem detexit. Nec mora fuit, quin per nuncios hac de causa missos Ostasio omnia significarentur. Qui nulli rei magis studuit, quam coniuratorum reliquos in asperrimum quidem carcerem detrudere, Matthæum primo, deinde Iacobum, cuius tamen captura longe nimis remorata est. Nam is ubi Matthæum carcere detentum intellexit, omnibus modis tentauit effugere. Tandem apud lares homecioli latitans, in quibus se nouissime receperat captus est, in uinculaque coniectus. Variis deinde ambo cruciatibus affecti, Alter licet, & manibus carnificum sumpta ueneni potione euaserit, tamen in exilium exactus est, Alter uero impie necatus è uita decessit. Oppizo autem, quem ad Liuienses ductum esse diximus, magno quidem auri pondo redemptus est. Sed impiorum profecto manus non effugit: Nam Ioannes Pisagnolus, qui & à patria exul erat, & cum eo simul Venetijs cohabitabat, sua uel animi malignitate, uel Ostasij suasionem, incautum cum repente adortus interemit, cuius certe facinoris satis dignas pœnas pertulit. Hac etiam tempestate Iacobus Raisius Eques, ac iuris interpres, & ciuis profecto præstantissimus, qui apud Ostasium quorundam uoluntates reprimere forte conabatur, & consilij obstabat trucidatus est: Quodam enim tempore dum ex atrio Ostasij medius inter optimos uiros Guelsum physicum, & Petrinum Melium domum primis tenebris repereret: aliqui in foro præoccupatum, ac seiunctum strictis

ensibus, & compluribus quidem uulneribus percusserunt. Maruelus etiam rusticus hoc tempore culpatus, quod cum hostibus sensisset, & de porta ciuitatis cum Francisco colloquium habuisset: ista uis tormentorum confessus se nocentem, crucis poenam subiit, uitamque finiuit. Sed postea comperitum est nedum id effecisse: sed nec quidem excogitasse, tum id asseuerante Francisco, tum alijs, qui patriæ tunc hostes sunt iudicati. Per id tempus Martelinus ciuis optimus in carcere conclusus: orta suspitione, quod cum Venetis sentiret, Propterea, quod tunc classis quædam è Venetijs in portum Sapis aduenerat. Varijs ob id tormentis agitatus est: Sed nihil eum in patriam machinatum esse postea comperitum, & tamen è patria, domoque exulauit, pauloque post diem suum obiit. Præterea Baptista Ioannis Picinini uir in Vrbe opulentissimus in suspitionem deuenit uel, quod grauius Ostasij dominationem ferre uideretur, uel eo, quod Ioannes eius natus ardenti deuotione Venetis deditus esset, & eorum partibus faueret, quem & patriæ hostem pridem iudicauerant, exilioque damnauerant, Non multo post relegatus, & ad Franciscum Picininum, Nicolai filium armorum Ducem apud Castellum Sancti Petri agri Bononiensis missus est magno cum uitæ, & fortunarum suarum periculo, Franciscus uero præter spem, & multorum expectationem eum benigne suscipiens incolumen seruauit, atque accurate effecit, ut tute posset patriam, & lares proprios habitare. Longus autem esset sermo si cuncta enarrare uoluimus, quæ in interitum, & perniciem Urbis, ac ciuium eo tempore patrata sunt. Satis erit de multis hæc pauca collegisse: quibus & temporū, & rerum conditio non obscure patere potest. Acerba certe est huius tēporis memoria, & res tū auditu horribilis, tū uisu crudelis. Quis nostrū non ingemuit? Quis non arsit dolore: cū sane nesciā quid acerbus, quid ueluctuosius Vrbi nostræ ea in tēpestare potuerit accidere. Sed de uastatione fatis: Nunc de instauratione dicendū uidetur.



# DESIDERII SPRETI RAVENNATIS

De Instauratione Urbis Rauennæ.

LIBER TERTIVS.



**Q**UANTVM ea quæ superiori scripsimus libro, pro singulari nostro erga patriam amore nonnihil animum conturbarint, illa me tamen ratio consolatur. Quod si res tunc aduersas Vrbs nostra perpeſſa eſt ea tandem mala ad extremum præſtiterunt, ut Ciuitas ipſa, quæ longiſſimo tempore ſub Polentefiorum tyrannide deſolata, inculta, ac vaſtata, mœſtaquæ, ac lugubris iacuit, ſub mitiſſimum demum, & auguſtum Venetorum Imperium diuino quodam munere ueniens priſcas uires reſtauraret, Ac illorum nunc oblita temporum magnopere lætetur, & plaudat: Nam cum ea eſſet inſœlix, & miſera conditio rerum, ſtatueret ciues nonnulli Venetorum partibus fauentes Urbem hanc noſtram è manibus Ducis Mediolani, ac eius Imperatoris Nicolai Picinini, penitus eripere, & eorum memoriam è Rauenna delere. Ciuitatem vero, & Oſtaſium inclitæ Venetorum cel-

fitudini, suæque protectioni commendare. Hanc rem cum Nanne Carlono Veneto ordinis plebei uiro optimo, qui tunc Rauennam mercator frequentabat, & ob hoc forte ab Senatu missus fuerat, communicauere. Is autem cum esset fidei integritate Venetis notissimus nobis autem summa beniuolentia coniunctissimus ad eam rem peragendam multopere suadebat, hortabaturque. At ubi de re collocti sunt, qui negotium animo gerebant, accersito uiro Nobili Donato Donato, qui eiusdem incliti Senatus ratibus præerat armatis, & de industria eo missus: portui Rauennati cum eo Nanne immorabatur, per portam Anastasiam extenso Sancti Marci uexillo populo annuente, ac uocante eos introducere festinarunt, & ad forum procurentes magna omnium lætitia suscepti sunt, tum gloriosum Sancti Marci nomen ore uno inuocantes iubilabant omnes, lætabantur, & exultabant. Sono, fidibus, & cantu resonabat aer: Postea uero tanta tranquillitas, tanta quies uniuersæ mox ciuitati influxit, ac omnes è prioribus odijs, & furoribus, ad pacis, tranquillitatisque amorem traducti sunt, ut nesciam, an beatius Felicitusque uiuere potuissent, nec multo post æquissimi ab Senatu magistratus Rauennam delegantur, Quorum summa iustitia, & æquitate recte omnia gubernarentur. Iam omnia legum rigore, omnia more maiorum, omnia ex æquo, & bono procedebant, Iamque nocturni omnes, ac diurni metus aberant: quippe illorum uirtute præcipua, atque opera simul, & humanitate tota ciuitas conquieuit. Id quoque perpetuum sane fuisset, nisi uehemens quædam ingruisset suspitio, quæ maximam populo dubitationem peperit. Quare effectum est, ut pro singulari, atque unica medela, quæ tam pestifer morbus curaretur à Senatu missus est magna cum celeritate equestris ordinis uir amplissimus, ac magnis in rebus spectatissimus Iacobus Antonius Marcellus, qui tunc temporis in exercitu Romani Pontificis Venetis confœderato in romandiolæ sinibus apud Reuerendissimum Aquileum

Aquileum Cardinalem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum à latere Senatus Veneti erat Orator . Cur autem hic Marcellus tantæ , & auctoritatis , & gloriæ uir à tam ardua exercitus illius prouincia reuocatus , ac tanta cum celeritate nostram in Urbem uenire coactus sit causa extat quippe quum uideretur uti solitum , ac perniciosum consilium non sequebatur à Ostasio Principe , quin ei potius in dies augebatur cupiditas , ut se in pristinum statum uendicaret , ac iterum Mediolanensium Duci dederat se hac igitur de causa , uel potius , quod vulgo creditur diuinitus boni communis causa , quod in huius rei calce latissime patuit , hæc suspitio populi animos huius diuini potius , quàm humani Veneti regiminis amatoris irrepfit , quum is præsertim maiorem in modum formidaret , ne qua in præteritum tyrannicæ gubernationis reuerteretur aculeum : quo unumquodque grauissimum quamuis , tolerabilius extitisset supplicium . Vnde omnes fere ciues primarij , una cum plebe , & suburbanis hominibus , qui causæ prius fuerant , cur ciuitas è Ducis Mediolani manibus euulsa in pristinam sancti Senatus Veneti fidem rediret , ut diximus : cum priuatim , tum publice quasi tota in Vrbe continue uarios susurros edebant , qui cum in dies crescerent , atque ad Senatus aures petuenirent , Timens , ne ciuitas tali suspitione percussa aliquod se in præcipitium daret , quod & facile potuisset accidere , & quanquam hic prætor à Senatu designatus esset : uidebatur tamen , quòd hoc ingruente casu , maiore munimine , ac gubernatione opus esset , quæ plane eos haud fallebat opinio hunc summa cum Imperij dignitate Marcellum elegit , qui perinde , atque dictator ciuitati , ac Ostasio recte consuleret , Illumque ueluti filium inclito Senatui commendatum inditione Urbis cum omnium ciuium beneuolentia conseruaret . Cuius quidem uirtute præcipua , ac summa integritate , ita omnia , & bello , & pace sapientissime administrata sunt , ut omnium ciuium nostrorum studia in Venetorum beneuolentiam , ac deuotionem

deuotionem summopere accensa sint, nec præter ipforum Imperium ullum aliud exoptarent. Huius igitur cupiditatis uehementia ducti, atque illius iniqui consilij suspitione quasi ultro currentes impulsî: quod die, noctuque in Ostasij Principis animo uigebat, Timentesque insuper, ne id eos ambiguis laqueis, ac diris præteriti status retibus irretiret, sæpissime eorum plerique communi poenè omnium consensu ipsi Marcello dixerent, se nullo pacto Ostasium Principem ferre uelle Urbemque ipsam Venetorum Imperio subdere decreuisse. Vti hac tam diu exoptata omni que studio, ac diligentia quæsitâ quiete ullo absque metu secure frui possent. Atque ea de causa quandoque in templo sancti Spiritus primatum ciuium concilia celebrarunt. At uero Marcellus utpote ad tutelam Ostasij Principis missus integritati suæ, ac Veneti Senatus famæ consulens, tum mitibus uerbis, tum asperioribus minis id fieri penitus uetauit. Quod cum illi animaduertissent tanta hominis fide, ac beniuolentia flagrabant, ut ipsum Marcellum inuitum, ac enixius reclamantem patrem patriæ, & Principem suum una omnium uoce publice constituere uellent. Denique Marcellus cum pro Senatu Veneto fidem, ac integritatem suam inuiolatam conseruasset, tunc longe magis pro se priuato ciue intemeratam, immaculatamque tueri studuit, ac uniuersis palam iussit, ne ea de re uerbum ullum de cætero fieret. Postea uero nocte quadam, dum prima quies fessos mortales occupasset, atque hostes Urbem somno sepultam inuasissent, qui in præsidio portæ Andrianæ locati erant, ut Marcello hostes adesse significarent tormenti unius fragore intonuerent. Quo quidem audito tumultus ingens per Urbem exortus est, quandoquidem de Urbis prodicione suspitio quedam cunctos inuasit. Atque ecce Marcellus somno excussus sine mora intrepidus exiit. Inque forum prodijt, quo milites statim conuocans, singulosque singulis locis in præsidio disponens ciuitatem ab omni metu suspitioneque liberauit.



rauit. Tum ciues uniuersi, qui in forum ad Marcellum ueluti Ducem suum pro tutela conuenerant occasionem optatam nacti denuo ciuitatem Imperio Veneto dedere, aut Marcellum in foro publicè Principem vociferari decreuerant. Cæterum iussorum antedictorum, sanctissimæque integritatis suæ memores studia, & ingentes cupiditates suas reprefere. Intra paucos deinde dies: Vbi hi motus quieuerunt, ac tumultus refedit, Adierunt Marcellum alterius factionis capita, qui fauere partibus Principis uidebantur. E quibus natu grandior: Nos inquit animaduertimus quid aduersarij nostri moliantur in tradenda Vrbe Senatui, modo cogitatio sua sibi succedat, Verum longe maxime falluntur, propterea, quòd non in sua, sed in nostra manu est, cui uelimus tradere Urbem. Proinde nos, qui Vna cum Principe summa rerum potimur, pollicemur Urbem uobis duros, uel Principe coeso. Vtrum autem hæc serio, & ex animi sententia dicta sint, Vt annuente Marcello res succederet, an ex composito per causam tentandi, & explorandi animum eius, & Senatus, incertum est. Marcellus hoc accepto, & si indignitate rei commotus obstupuit, quippe cui sicuti causa prioris motus non parum molesta fuit, ita multo molestius accidit, Vt huiusmodi promissis Nex Principis accederet, tamen sic est ad eos locutus. Quod iam ipse publicè, & priuatim prædixi, uobis quoque referre non grauabor. Non scilicet me eò nomine huc ab Senatu missum, quo ista fierent. Sed, ut in fide, & officio Principem incolumem, & florentem contineam. Proinde quemadmodum monui, & hortatus sum versæ factionis homines, ita etiam uos, & hortor, & monitos uelim, Vt missis, & sedatis istiusmodi animis, amice, & pacate inter uos agatis, ita ut Princeps pro desiderio Senatus in officio permaneat. Digna uox certe, & omni laude plena mirifice grauitatem illam Sanctissimi Senatus Veneti redolens: Paucis uero post diebus Decedentem Marcellum Princeps ipse, & uniuersa fere ciuitas extra Urbem profecuti

cuti sunt. Nec poterat Princeps temperare lacrimis, & cre-  
 bris singultibus modum facere, adeo decessum eiusmodi tu-  
 toris, immo parentis optimi moleste ferebat, & eo molestius  
 quòd prætorem, qui modo uenerat signis quibusdam acer-  
 biorem futurum iam sibi intelligebat. Ad quem Marcellus,  
 quo bene sperantem redderet. Mitte, inquit, istas lachry-  
 mas: Esto bono animo; redibo actutum ad te: Vt aliquot  
 inter nos latos agitemus dies: Et ille excipiens ait, quinim-  
 mo vix quindecim patiar excedere dies, quin te ipse conue-  
 niam. Vbi uero aliquantum extra Urbem uentum est, Con-  
 tinuit se Marcellus, apprehensaque manu Principis, qui la-  
 teri sibi hærebat, semotisque omnibus, Decem duntaxat  
 adhibuit ex primatibus, quos fidiore, studiosioresque Prin-  
 ceps sibi putabat, Et hac usus est oratione. Viri, & ciues  
 optimi cum paulo ante Principem uestrum ægrum, & lachry-  
 mantem ob discessum meum intuerer, quo cum bono animo  
 esse hortarer, & lenirem dolorem, Dixi me cito rediturum.  
 At is se citius iturum ad me subdit, quàm quintusdecimus  
 præterlaberetur dies. Conuersusque ad Principem, hos  
 inquit, ciues testor meorum uerborum in omnem euentum:  
 Si tu hinc abieris. Scito te post hac non dimissurum amplius  
 clauis Principatus tui, quem paulo ante proximum periculo  
 fuisse: te Venetias petente, omnibus planum est, non di-  
 missurum inquam Iacobo Antonio. Quod nisi tibi recon-  
 ciliaueris populares tuos, & in gratiam secum redieris secus  
 quàm nunc facis, Crede mihi actum erit, nec est, ut speres  
 amplius tibi patere reditum in Urbem. Si mihi auscultabe-  
 ris, nusquam discedes: Dabisque operam unà cum hisce  
 qui tibi hoc suadent reconciliandi tibi populares tuos tam  
 internos, quàm externos, & exilio actos, quando præfer-  
 tim finitimihî Reguli omnes nihil aliud inhiant, & in primis  
 affines tui Fauentini, quàm te Principatu exuere. Tui nan-  
 que ciues non inquam eos, qui extorres sunt, sed qui Vr-  
 bem, & agrum incolunt, ut qui grauantur Imperium tuum  
 & mole

& male abs te regi indignantur, proderent cuius Urbē, si modo aliter facere haud queant. Hæc Marcellus omnia cecinit, Vt uniuersæ ciuitati constat; Quæ intra paucos dies uerrissima euenere, non secus, atque si uates quispiam ea prædixisset, aut diuino oraculo prolata fuissent: At Deus omnipotens, & quòd plerique horum sic meruerint, & patriæ nostræ tam communi commodo respiciens: occæcauit animi eorum oculos, Auriculas obturauit, corda obduruit, quo minus tam pro, sancto, & salutari consilio sapientissimi Marcelli obtemperaret. Interea Zinebra suauissima Ostasij coniunx, vel salutis suæ forte consulens, uel sua suorumque, Venetias nauigauit, & ibi aliquandiu residere constituit, Sed cum Ostasius illius ardenti quodam amore afficeretur, aut aliam forte deperiret, quam in præsentiarum minime quidem nominare constitui, eas secutus Venetias frequentius aduentabat. Vereor autem, ne aut culpa tanti facinoris, aut libido illius perpetrandi, accedentibus quoque multis, & tetris sceleribus, quibus tum se contaminarat; tum etiam magis alios inuolui permiserat, eos scilicet, quibus ignauia quadam ipse Ostasius plus tribuebat, quàm exigebat, & animi, & corporis statusue sui salus, causa fuerit; quo præceptis rueret. Tritum est enim uetustate prouerbium, propter peccata infortunijs plerunque affici mortales. Nam qui Deo accepti non sunt mente capiantur necesse est. Et proinde Ostasius captus, ut sic dicam oculis, auribus, cordeue, haud quaquam intelligere potuit salutare, & ex omni parte perfectum consilium Marcelli missi huc ab Senatu cum Imperio, tum pro ipsius Ostasij, tum uniuersæ ciuitatis nostræ singulari commodo. Nouissime dum sic Ostasius Venetijs commoraretur uiri optimates, ac ciues primarij cernentes nihil sibi magis, ac Urbis dignitati, foelicitatiq; conducere posse, quàm sese, ac ciuitatem ipsam mitissimo Venetorum Imperio subdere, Ostasium uero è principatu deponere ad arma concurrunt, totamque ciuitatem suscitant

scitant dum populus Apostoli Matthiæ sacra festa celebra-  
ret, anno tunc Millesimo, ac quadringentesimo quadrage-  
simoprimo ab aduentu Saluatoris decurrente. Plebs itaque  
sequitur tota. Vox una populi Sancti Marci nomen ac iustif-  
simum Venetorum Imperium repetit, & inuocat, eiq̃ue om-  
nes sese, ac Urbem dedere clamitant, & uno ore significant.  
Hæc cum essent sine vlla prorsus cuiusquam, aut cæde, aut  
cruciatu, uel proscriptione, uel detrimento patrata, statim  
Venetorum Senatui tum litteris, tum nuncijs enunciarunt.  
At Senatus statim censuit Urbem suscipiendam, ne sinistre  
secum ageretur, quod facile euenisset, pristini Imperij per-  
tusa ciuitate. Et recte sane id ab Senatu fieri poterat, quippe  
qui præter officium nunquam animum induxisset eam Vr-  
bem recipiendi, ea est integritate iam inde ab Vrbe condita  
constantissime supra millesimum annum seruata, & impri-  
mis, quòd ciues ipsi ultro sese dedidere, Vrbe suscepta, &  
exacto Ostasio culpa sua, qui si à prudētissimis monitis, Lega-  
ti Senatorij nō abhorruisset, proculdubio incolumen se con-  
seruasset. Id cum esset populo Senatus litteris renuntiatū om-  
nes maximo præ gaudio iubilarunt. Paulo autem post Osta-  
sius, eiusque natus, & Zinebra ad Cretenfes perpetuo rele-  
gantur, id supplicibus litteris Rauennæ ciuibus postulanti-  
bus. Vbi & morbo confectus sua cum prole uita decessit.  
Ita vt in eo generosa Polentesia familia prorsus extincta fue-  
rit. Ostasius uti ostendimus primus ex ea familia fuit, qui  
Urbem Rauennam per tyrannidem occupauit. Ita & fatò  
quodam alter Ostasius illam amisit. Quod cœlitus, nutuque  
diuino factum esse non ambigo, Nam & uaticinijs quidem  
multis longe prædictum fuerat. Oppizo etiam eius genitor  
uiuens hunc sæpissime casum deplorauit. Illud quoque ex-  
tat in Vrbe atritum, uulgatumque uaticinium, quod quidem  
latissime ferebatur. Ad Calendas Martias, & apud festa de-  
dicationis Basilicæ beatissimi Apostoli, & Euangelistæ Ioan-  
nis, quæ tanta à Rauennatibus ueneratione, & summa pie-  
tate

rate celebrantur, & per portam Anastasiam Polentefios Urbem Rauennam amissuros. Quod ab illis, ita pro uerissimo habitum est, ut & ipsius etiam Ostasij maiores summa quadam uigilantia, Calendas ipsas, & festa illa attentius obseruarent dies, & noctes excubijs, ac uigilijs intenti. Præterea eam portam sibi adeo suspectam habuere, ut per ipsam nemini, & maxime aduenæ intro, aut extra ire concessum esset. Aliud quoque incredibile uetustissime scriptum, tum ipse uidi, ac legi, tum alij complures, quod responsum à spiritu quodam fuisse, scriptura testatur antiquissima, Ex quo apertius significatur Rauennam anno parum ante cuiusdam Ostasij Polentefij obitum ab Polentefiorum ditione penitus euasuram, & in manus dominantis super mare; ut iisdem utamur uerbis deuenire. Mira quippe res hæc multis ante seculis, ita luce clarius prædiminuta uidentur, ut qui rebus gestis interfuere, nec amplius referre, nec planius enarrare potuissent, ex eo autem tempore, quo Rauenna Deo maximo auctore, sub Venetorum ditionem sponte deuenit, plurimum quidem eorum beneficio, tum opibus, tum nouis hominibus aucta est, ædificijsq; reformata. Ager etiam uniuersus ad frugem, ita egregie cultus est, ut infructifera quæque loca sentibus, & uepribus olim squallida, & saltus fere omnes dudum ferarum lustris refertissimi in cultam telluris faciem nunc reparata sint. Arx insuper munitissima, & inexpugnabilis pro maiori Urbis tutela cocto latere, & muro amplissimo miræ altitudinis, immensæque latitudinis à fundamentis cinctâ erigitur, eaq; fieri inchoata est consilio, ac prouidentia sapientissimi Iacobi Antonij Marcelli sic eam fieri Senatui Veneto suadentis, pluresque iam ipsius in altum clatæ sunt turre. Quam non iniuria homines mirari non desinunt. Fœlix profecto Vrbs, quæ tale nacta est Imperium, quo nullum scio maiori æquitate iustitia simul, & clementia subditis imperare. Cum enim multis rebus bonum publicum contineatur, nulla certe res est, quæ

ad communem utilitatem conferre magis uideatur, quàm æqua in omnes iustitia. Et tum malos compescendo, tum bonos subleuando, beneficijs in fide subditos detinere. His enim artibus amici parantur, qui (ut inquit Salustius), non thesauri præsidia Regni sunt. Et hæc Cicero scripta reliquit è sua, & panetij sententia, Neminem neque Ducem bello, nec Principem domi: magnas res, & salutare: sine hominum studijs, & beneuolentia gerere potuisse: Commemorantur, & ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, & Alexander Macedo. Quis negat sine adiumentis hominum eos tantas res efficere potuisse: hoc proprium uirtutis est, conciliare sibi animos hominum beneficijs, & ad suos usus adiungere, Nihilque ad tuendas opes magis est accomodatam, quàm diligi. Nam ut præclare Ennius tradit, quem ciues metuunt, Principem oderint, & quem odio habuerint perijisse expetunt. Nulla est enim tanta uis Imperij, quæ absque ciuium beneuolentia possit esse diuturna. Non temere igitur existimant, qui malum aiunt diurnitatis custodem esse metum. Habes itaque magnifice, ac humanissime uir quicquid ex me de amplitudine simul, & uastatione Urbis Rauennæ, eiusque instauratione dici hoc, quàm breuissime sermone, & perstringi potuit. Epigrammata autem antiqua, quæ confecto operi pollicitus sum me oppositurum, hæc sunt.

F I N I S:



# EPIGRAMMATA. 53

IN muro vetustissimo apud ædem Sanctæ Mariæ in Rotondo extat marmoreus lapis, in quo sculptæ sunt iuuenum imagines duæ pulchræ cum his versibus ad modum vrnæ quadratæ, in qua nihil præter cinerem, & ossa consumpti cadaueris capi potuisset.

Duo iuuan. Lupi, & apri  
*Vna Iuuania domus hos produxit alumnos,  
 Libertatis opus contulit vna dies,  
 Naufraga mors paxiter rapuit, quos iunxerat ante,  
 Et duplices luctus sic periniqua dedit.*

*In porticu adis Beati Petri.*

FLAVIÆ. Q. F. Salutari coniugi rarissime. L. publicius Italicus dec. orn. & sibi: V. P. Hic col. Fabr. M. R. HS. XXX. N. Viuus dedit ex quor. reditu quotannis decurionibus coll. Fabr. M. R. in æde Nept. quam ipse extruxit die Neptunialiorum præsentibus Spor. bini diuiderentur: Et dec. xxviii. Sux centeni quinquageni quotannis darentur, vt ex ea summa sicut soliti sunt arcam publiciorum Flauiani, & Italici filiorum, & arcam, in qua posita est Flauia Salutaris uxor eius rosas exornet de xxv. sacrificent, quæ ex xx. & de reliq. ibi epulentur, ob quam liberalitatem Coll. Fabr. M. R. inter benemeritos quotannis rosas publicis supra. S. & Flauia salutari uxori eius mittendas ex xxv. sacrificium faciendum de xx. per magistrōs decreuit.

*In quodam oratorio in vico portuoli*

M. Cocceius. M. F. Cam. Erotianus Dec. Col. Cent. M. R. Sibi, & Valeriæ benignæ coniugi incomp. Cum qua uixit annis xx.

Viuus      Pos.

*Apud*

*Apud adem Sancti Apollinaris in Classe*

C. Iul. Prisci. V. A. VI. M. X. D. viij. Iul. germanus armorum custos, & Val. Martiana parentes

*Aliud eodem in loco*

P. Aelius Cissus sibi, & Ligariæ Ammiadi. V. Pos. u agrp. xv. in Fr. xxv. Hic Loc. Her. non Seq.

*Eodem in loco*

D. M.

Valeriæ Didixæ Valeria tertia matri pientiff.

B. M. P.

*Eodem in loco*

D. M.

**SPEDIÆ.** Pan. Ycb. P. Cassius Verus Coniugi pientiffi.

*Apud adem Sancti Ioannis Euangelista*

**SERGIA.** Olimpias sibi, & L. Sergio Rufo. F. Et L. Caltilio Tespio

H. M. H. N. S.

*Eodem in loco*

**AURELIÆ** Maternianæ Coniugi Incomp. quæ uixit annis mecum xxij. sine ulla querela Aurel. liberal. Marit.

*Apud*

*Apud pulcherrimam adem Sancti Vitalis*

D. M.

GERVLANIAE Artemisæ. L. Annius uelox Matri  
pientiffi.

*Apud adem Sancti Andreae*

M. AVRELIVS Marius Seleucus Ver. Exoptalia Clau  
diæ coniugi incomparab. Et sibi. VIV. POSVIT.

*Apud adem Sancti Ioannis Baptiste*

C. Didio. Concordiano. V. A. VI. M. VIII. D.  
XX. C. Didius. Celer. N. Iunia Marcellina parentes.

*Eodem in loco*

Dis. manibus.

T. Vennoni. Feliciani. T. Vennonius. Foelix filio ca-  
sissimo.

*Eodem in loco*

PACCIAE Cæsia. Lib. benemerit. Paccia Flora.

*Apud adem Sancti Ioannis Euangelista*

AVRELIAE. L. F. Statiliae Claudianæ quæ uix. an-  
no I. mense I. die I. Filia  
HERODES. Et. Iulina Parentes.

*Ibidem*

D. M.

IULIAE.

IULIAE. Primæ. Vix. A. xj. M. iijj. D. xvij. C. Iu-  
lius. Crescens. N. Filia. Carissimæ.

*Apud adem Spiritus sancti*

M.

M.

M. Aurelio Marcellino Coniugi Dulcissimo Saufeia Cri-  
spina Coniunx

*In Ecclesia Spiritus sancti*

ROGATO. Aug. Lib. Tabul. Cepr. Fau. Siluanus. Fil.  
& foelicissima Neptis. Et Seuerinus : conlib. & dius. lib.  
Hæredes.

F.

C.

*Apud Ecclesiam Sancti Petri maioris*

O. Tertull. Filo. o. Tertullus Et Aurel. Ammasis Pa-  
rent. Po.

*Apud Ecclesiam Sancta Agatha maioris*

D.

M.

T. Veturius Florus Veteranus. Scriba. Na. Dalmata vi-  
xit annis lv. posuit T. Veturius. Poniinus. Libertus Patrono.  
B. M. G. In. fronte Ped. x. In. Agro. P. viijj.

*Apud adem Sancti Apollinaris in Classe*

D.

M.

Q. Aurelio. Festiano. Nat. Pan. Vetaur : Clauce : Pa-  
tron.

tron. & coniu. dulciss.

B

M

P

*Ibidem*

Memoriæ · Dida. Hilare · Dida. Hermione · Sorori · dul  
cissimæ. posuit : Quæ. vixit. annis. xxix. dies. ix.

*Ibidem*

Auilia. Stephane. Floris. L. Auilio. Rufæ. Auiliæ. ge  
mellæ. Parentibus. caris. viua P.

*Ibidem*

Bonæ. memoriæ. castissimæ. coniugi. Midia. Procilia.  
Minuc. Dionysius. Sprecultr. maritus. cum qua vixit annis  
xxij. ipsa autem vixit annis xxxvij.

*Ibidem*

Eudæ. monepaphroditi : F Rhodius. V. F.

S. ET S.

*Ibidem*

Pomponia. Syntyæ. sibi. &. Pomponio. filio. suo

*Apud adem Sancti Seueri*

D.

M.

C. Valerio. Diodoro. vix An. xix. C. Valerius. Placi-  
dus. &. Valeria. mirtale. parentes. fil. &. sibi

H

*Ibidem*

*Ibidem*

D. M.

Herennia. Secundina. Con. Opt. Aurelius. Sabinus.

P. C.

*Ibidem*

D. M.

M Vitellus. Titianus. Na. Cilix. uix. annis xxxiiij. ma. xj. iiij. Pad. M. Indius. Titianus. frater. P. In. Fr. P. Vi. IN. A. G. P. viij.

*Apud adem Sancti Petri in Trentula agri Rauen. super  
marmore duorum puerorum imagines pari  
forma pulcherrima.*

L. Scantiol. L. F. Galot. Scantio. L. F. Tiron. C. Venetius. P. F. M. Bæbius. M. L. Glauoiu. Heredes. Ex. Bes. Se.

*In eadem Ciuitate*

Q. Sextilius. Barbula. Sib. & Flauia. Primæ. Mazionis. L. contibernali suæ. V. F. libertis libertabusq. suis inf. P. xxj. in A. P. xxj.

*In Ecclesia Maiori*

D. M.



Aureliæ. Annæ. uix. an. xxvij. M. Aur. Iust. Parent.

B. M. P.

*In eadem Ciuitate*

D. M.

M. Furnius. Alexander. III. triumpho. Nat. Gr. vix. An. xlv. mil. ann. xxv. Furnia. Daphne. Patrono. Beneficenti. idem. & coniugi. P. C.

*Apud portam Auream*

Ti. Claudius. Drusij. F. Cæsar. Aug. Germanicus. Pont. Max. trib. Pot. II. conf. desig. III. Imp. III. P. P. Dedit

*Apud adem Cathedralem*

Aurel. Matidiæ. M. Aurel. iustus. & Aurel. Marina. Sori. & infanti. dulcissimæ

B. M. P.

*Apud adem Sancta Agneis*

D. M.

A. Fabius. Onesimus. V. F. sibi. & Marcia. Nymphæ. Con. Opt.

*Apud adem Cathedralem*

B. M.

H 3 A. Suuius,

A. Suuius. Marinus. sibi. & coniugi suæ. Aur. Theodoræ  
dulcissimæ. Fœminæ. Viui.

Posuerunt

*Apud adem Sancti Ioannis Euangelistæ*

Berutia. Proculæ. L. Berutius. Proculus. & Cælia. vi  
etrix. parentes filia. piissim. uixit Annis. xvj. D. xxx.

*Extra Urbem Rauem in suburbio  
apud Ecclesiam.*

D.

M.

Fullonia. tertia. P. Veditus. Apius. Coniug. Op-  
tim.

*Apud adem Sancti Martini in calo aur.*

D.

M.

Sæ. Marcellus sibi. & Claudia. Siricæ uirginia. meæ  
cum qua. uixi. annis. xiiij. mensibus. vij. diebus. vj. Vibi. sibi  
posuer. quæ perit. anno Ro. vj.

*Ibidem*

Julia. Marina. Eurefis. sibi uiua. posuit.

*Apud Ecclesiam cathedralem*

P. Cornel. Antonio. qui. uixit. annis. V. M. vij. D. viij.  
Cornelius. Iulian. & Cælia. Sabbatis. parentes. filio. piissimo.

EXIIA

*Extra Vibem Rauenna apud Ecclesiam Sanctæ Mammæ.  
in urna marmorea, in qua dua infantium  
imagines sculta sunt.*

O S S A.

L. Titini. L. L. Sillonis.

*Apud adem Sancti Vitalis*

D. M.

Aureliæ. Varroniliæ. fil. inf. uix. an. ij. Aurelius. Vale-  
rian. & Lucania. Maximina. paren.

*Apud adem Sanctæ Agnetis*

D. M.

Egnatiæ. primitiæ. sibi. & Egnatio. Onesimo.

V. P.

*Apud adem Sancti Stephani*

Maria. Patrobi. F. Alexæ. Tryphonis. F. coniugi.  
optimo.

*Apud adem Sanctæ Mariæ in portu*

Pettidiæ. Attiroditi. coniugi. S. carissimæ. cum. qua. ui-  
xi. ann. xxxvj. M. Vibius. felix. Aug.

N. R.

*Apud*

*Apud adem Sancti Apollinaris in Classe in mar-  
more quodam ad modum urna  
rotunda.*

C. Valeri · Iusti

*Ibidem*

D.

M.

Naroniæ · Fortunat. Nat. Italica. Vix. ann. xvj. Ce-  
stius. Proculus. Coniugi

B.

M.

*Extra Urbem Ravenna apud Sanctum Albertum  
agri Ravennatis.*

Herenniæ. Cyparæ. filia. innocentissimæ. quæ vixit an-  
nis. vij. menses. x. L. Herennius foelicissimus. Et Cassia.  
Cyparæ. parentes. infœliciff.

*Apud adem Sanctæ Mamma intra Urbem*

D.

M.

T. Plotius Tromentina Rufinus Aequo. Vet. Leg. ij.  
Adiut. P. F. M. Platorus. Valens. Vet. H. B. M. P

*Pra foribus D. Vitalis.*

Εν ταῦθα κείται ὁ σρατηγῆτας καλῶς  
Ρ'ὼμῆων ἀβλαβῆ Φυλάξας, καὶ τὴν δύστω  
Τοῖς γαλλεοῖς δεσπότηις τῆς ἐξ ἑαυτοῖς  
Ἰσαάκιος, τῷ βασιλέων ὁ συμμαχος.

Ο' τῆς ἀπίστου Ἀρμενίας κόσμος μέγας;  
 Ἀρμενίος γ' ἦν ὄντι ἐκ λαμπρῶν γένεας;  
 Τούτῃ θρόνοντες βικλέας, ἡ σύμβου  
 Σωσάννα σάφρων, τευτένος πτόπω σεμνῆς  
 Πικνῶς σενάζει πῦ ἀνδρῶς ἐσεσημηδῆ  
 Ἀνδρῶς λαίξαιτ' ἐκ καμάτων διδοξίαν  
 Ἐνταῦς ἀνατολαῖς ἡλίου, καὶ τῆ δύσε  
 Στρατοῦ γ' ἤρξαι τῆς δύσεως, καὶ τῆς ἐῶ.

*Traductio superscripti Epitaphij.*

Hic iacet Isaacius qui bonus dux extitit. Romamque  
 indemnem ac occidentem ter sex annis principibus con-  
 feruauit, & Imperatorum socius fuit. Ipse Armeniusma-  
 gnus vniuersæ Armeniæ fuerat ornamentum. Iste enim  
 ex claro fuit genere, hoc ipso bona cum gloria mortuo socia  
 vitæ Sofanna modesta more turturis frequenter suspirat vi-  
 ro priuata; viro, qui ob labores in ortu solis, & occasu for-  
 titus est gloriam: orientis enim atque occidentis duxit  
 exercitum. Aclia

Maximæ Fil. dulcissim.

Q. A. IIII. M. ix. dies xx. P. Aclius.

Maximus. Tr. & Flauia. detelia. parentes. infoelicissimi.

*Ibidem*

M. Martio. Sempronio. Ptolemæo. Except. Dupl. Vuic.  
 M. Martius. Menelaus. Vetex. scrib. filio. dulcissimo. & fili-  
 posuit.

*Ibidem*

Popilia. Märtia. V. P. sibi. & .Popilio. Magiano. Li-  
berto. B. M.

*Ibidem*

D. M.

L. Licinij Maximi Tr. Class. Patr. Rauen. Natone. D.  
Almat vix. ann xxxv Milit ann. xxv. Paeliu. Quintus. Fra-  
tri. pijssimo. faciendum cur.







<sup>CO</sup> MAG. ET CLARISS. <sup>MO</sup> EQVITI  
ARTIVM AC V. I. DOCTORI,  
VITALI LANDO PATRITIO  
VENETO PRAESTANTISS.

Desiderius Spretus Rauennas sc plur. commen.



CIO vir Clarissime, Eques, ac Doctor insignis, quamlibenter pro singulari erga nos amore, tuarq; eximia virtute, & doctrina, veteris Rauenna monumenta intelligere cupias. Quod & si antea tum maxime quum apud nos Praetoram gereres ostendisti: in qua cum aequitate, tum iustitia, atque facilitate tua, ita ciues omnes allexisti, & tantis eos, ac Urbem profecutus es beneficijs, ac ornamentis, vt tui apud nos memoria perpetua, immortalisq; futura sit. Eam enim curam, atque diligentiam in reformanda decorandaq; Vrbe adhibuisti, vt nihil magis accurate factum a te dici possit. Sed hoc ipsum & multa, ac valde praeclara tua facinora sileo, qua non hoc essent breui cursu, sed maiori volumine comlectenda. Sic enim ingenio, virtute, & gloria excellis, vt te vno in multiplici genere laudis possis: atq; nostra cum maioribus certare. Veram cum tanto erga Urbem nostram tenearis amore, & te rerum nostrarum cognitio tantopere delectet ne immerito abs te fieri videatur, nuper quadam in archiuo publico mea opera inuenta, quo tibi iocundiora esse existimari, eo lubentius, & audacius scribo. Quibus olim Rauennates cum Venetis foederatos, vt in initio cum Romana Republica fuisse comperis. Anno quidem ab aduentu Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo,

Rainerio Geno Principe, uti scriptis fidelibus memoria traditum est, firmum Veneticum Rauennasibus fœdus habuere. Quod & Laurentio Theupulo Duce firmiter innouatum, atque repercussum extitit. Cuius hæc imprimis fuit conditio: ut Vice dominus (sic eum magistratum appellant) à Venetis nostram in Urbem designaretur: nève quadam mercium genera è Liguria, aut alijs prouincijs ad aliena loca Rauenna, nisi ad illius usum, aut Venetias portari transfuchi, possent. Verum cum ea prohibitione veltigalia redditusq; Rauennatum non parum minnerentur, ne hoc incommodo Venetorum amicitia ipsos afficeret, eodem iure & aquo fœdere Rauennasibus certam pecunia quantitatem singulis quisque annis numerare tenebantur. Aliud quoque his scriptis memoria proditum est. In agro Rauennati Castellum, cui Marchamo nomen citra, & penes Eridanum fuit: Loco certe, ut conyctio, mercatoribus, & conuenis pro emendis, commutandisq; mercibus aptissimo. His enim qui oneratis è Liguria nauitus descendebant, iter erat expeditum res venales ibi vel deponere, aut Rauennam petere. hincq; Padum superantibus ad propria turgidis saculis remeare. Id oppidum à Rauennasibus conditum aliquando Veneti tenuere. Illius uero regendi, ac custodiendi gratia duo ex nobilium ordine à Senatu Veneto in annum delegabantur: horum è numero fuere patritia gentis Paulus Fuscarinus, ac Birutius Delphinus. Postremoq; Andreas Victorius, & Dardus Raimundus: quibus tandem magistratum ibi custodiamq; gerentibus amice uti constat, & pactione Marchamo ad Rauennates redijt. Multa praterea, ut ex his monumentis apparet, sunt hincinde fideliter, & constantè acta multa & familiariter, & amice ad inuicem scripta, qua firmam inter ipsos unionem, ac singularem beneuolentiam exprimunt, & ostendunt. Hac populo Rauennati bona, firmaq; cum Venetis fuit amicitia, dum Ciuitas libera nullo tyranno, sed ciuibus regeretur. Resq; nostra non ex unius uoluntate, sed plurimorum uotis agerentur Verum & si tyranni Ciuitatem postea oppressere, necesse illis sament semper fuit, quo ciuium animis satisfacere, se eo iure cum Senatu Veneto habere, quo strictos nostri temporis homines colligatos, atque commenda-

tos appellant, non aliter dominium seruaturi, nisi illius amicitiam tenuissent: Quod iunioris *Ostiaj* gesta plane declarauerunt. Cuius tempore à tyrannide euasimus: & nostram ex animo deditioem *Veneti* suscipere, ut in maiori de *Rauenna* libro conscripsimus. Ista certe cum lectitasset non mediocrem animo capere uoluptatem atque lasitiam. Maioribusq; nostris plurimum deberi fateor, qui talem posteris memoriam seruaere: Vides itaque magnifice, ac splendidissime uir, quanta semper fuerit erga *Venetos* *Rauennatum* beneuolentia, atque fides. Quod si qui ex intimis praeordijs nos illis affectos, deditosq; mirentur, mirari desinant, quando non noua, immo uetus sit, & fides, & amicitia innata nobis, & à maioribus tradita. Nam quod ab ipsis actum est, nobis & idem praeceptum esse uidetur: qua enim laus est progenitorum bene gesta referre, & ea facto paruipendere, qua non tantum exequanda, uerum & si uires adsint multo superanda. Maior enim maiorum laudibus gloria ac laus est semper addenda. Igitur si maiorum gesta imitanda sunt: *Venetis* uti & sumus & uolumus, fideles esse debemus. Sed non minor profecto *Rauennati* populo inesset fides atque constantia *Saguntinis*, ac *Massiliensibus*: qui ne à *Romanis* uti legiuntur deficerent, maximas, ac grauissimas calamitates tolleraere: & tandem omnia potius extrema pati uoluerit, sui, liberorum, ac patriae excidium, quàm hostium populi *Romani* Imperium perferre: nec ipse uiri existimo, de nobis aliter senties, qui nostrorum ciuium nostri affectiones, & corda. Habes iam, qua nuper à me comperta esse dixi, & ut breuius potui excerpta, atque descripta, qui sicut antiquam *Rauenna* amplitudinem uastationem, & instaurationem, & alia permulta iam plane oblitterata, ad nostrorum cognitionem hominum deducere studui, ita quoque priscam ipsius cum *Venetis* amicitiam & antiquum fœdus, ad te uirum quidem eruditissimum, atque amplissimum, qui *Rauennam* summo quodam semper honore & laude prosequeris, foues & extollis scribere consilium fuit. Hoc igitur munusculum paruam profecto, tibi tamen ut spero haud ingratum, quod ab homine & animo semper sibi dedissimo proficietur, lubenter, ac benigne suscipias, rogo.

68  
MAVRI VGERII MANTVANI  
AD IACOBVM FRANCHVM  
RAVENNATEM,  
ELEGIVNCVLA.

**F**RANCHE Rauennatis pulcherrima gloria campi,  
Qui colis Aontiam, Pegaſeumq; nemus.  
Cui data de viridi muſarum fronde corona  
Pterio tinctas cingit in anne comas;  
Nuper ſcripta tua primordia vidimus Urbis,  
Et cultam doctis artibus hiftoriam.  
Conditor eſt Spretus, priſca cognomine gentis,  
Sed non ſpernendo nobilis ingenio.  
Ille quidem longo ſeculis labentibus aeo  
Mœnia ſemirutæ reſtituit patria.  
Non hac longa dies, non hac annoſa vetuſtas,  
Nec poterunt bombo frangere ſaxa graui.  
Hac ſine morte tui donant tibi mœnia ciues,  
Quorum opera, ingenium, culta Rauenna foues.  
Quod ſi nunc ſapies Franchum quoque lata fouebis,  
Atque erit in patria notior ille ſua  
Hic mihi crede poteſt tantum tibi tradere nomen,  
Quantum Verona docta tabella dedit:  
At tu: nam dirum eſt patria ſe auferre petenti:  
Fac teneat ſummum Franche Rauenna locum.  
Vale.



V I T A  
 DESIDERII SPRETI  
 HISTORICI RAVENNATIS

Scripta à  
 VINCENTIO CARRARIO CANONICO,  
 ET IVRISCONSULTO RAVENNATE.



**S**PRÉTAM gentem inter Rauennates illas Patritij ordinis familias, quas in libellum elapsis annis digessi, nobilitate, opibus, maiorum gloria, & dignitate vetustati coniunctis; sua, ipsam ornatam, virtute, non alienis conspicuam proprias laudes posse proferre, satis, saperq. omnibus compertum est. Nam in documentis, & monumentis, quæ tot depopulationibus, tot publicis, tot crebris priuatis incendijs superfuerunt; ipsius familie nobilis memoria annos quadringentos attingere reperitur: siquidem Talamon & Rodolphus, Arardi filij anno millesimo ducentesimo trigesimo secundo viuebant. Ex Talamone autem natus est Spretus, qui anno MCCXXXV. floruit. Ex Spreto, Arardus, qui alium Spretum genuit, cuius filij fuerunt Arardus, Tamagninus, & Marcus, à quibus omnes, quæ nunc Rauennæ viuunt, familie Spretorum, descendunt. Et  
 quo-

quoniam ex scripturis, & antiquis monumentis *Rauen-*  
*natibus* non reperitur huius familiae origo, non nulli perhi-  
 bent ex *Germania* oriundam, vt etiam affirmabat se legisse,  
*Bartholomæus Orfutus Lucensis*, *Episcopus Lauellinus*,  
*Rainūtij Farnesij Cardinalis Archiepiscopi Raueennæ* suf-  
 fraganeus: Quod ego puto verum esse, eo adductus, a  
 duobus illius prouinciæ fluminibus, quorum vnum *SRE*,  
 alterum autem *SPREDA* nuncupatur, & ad eorundem  
 ripas fluminum populorum, & opidorum frequentia, satis  
 conspicuas habitasse. Suspicientibus alijs, vnam, & eandem  
 esse cum nobili *Felicina* item *Germana* origine, in præsentia  
 rum *Bononiensi* familia. Quoniam ambæ viuident *Filicem*  
 aurea in area gestent; quanquam *Spreta* montes tres albi  
 coloris non differentia ergo, sed vt magis montes ipsi, in  
 quorum cacumine & plantata, conspicuam ipsam *Filicem*  
 reddant, & ostentent: Nemo autem est qui huius *Familiae*  
 viros cognoscat & non laudet, & non miretur virtutem,  
 constantiam, prudentiam, & genus denique eorum nobile,  
 tum quoniam ipsa hæc familia *Spreta* tot honestata virtuti-  
 bus, virorum semper virtute præditorum fuerit amans, &  
 benefica, & pro patria sua in varijs muneribus ac legationi-  
 bus laborauerit, tum quia *Matronarum* quoque pudicarum  
 clarissima, fertilis, & frequens, aded, vt nobilibus *Rauen-*  
*natium*, & externorum familijs fuerit, sitq. affinis, sicuti  
 fufius in nostris *Romanæ* historijs, atq. in familiae huius  
 stemmate, illiusq. historia diximus, ad quæ, vt breuitati  
 studeamus, oratio reijciatur. *Desiderius* igitur, huius fa-  
 miliae præcipuum decus, eo anno, quo *Constantiense* Con-  
 cilium inchoatum est, qui fuit a partu *Virginis* quadragen-  
 tesimus decimus quartus supra inillesimum, ex altero *Desi-*  
*derio* natus proficiens ætate, & moribus; vir fuit suo tem-  
 pore eloquentissimus, & rerum, quæ ad ius attinent peri-  
 tissimus, & nostræ ciuitatis specimen, posteaquam ipse  
 post *Andream Agnellum*, & *Geruasium Ricobaldum*, &



alios antiquiores, qui minime extant, fuit, qui quadam  
 animi actus pietate, originem, & antiquitatem patriæ no-  
 stræ, primus omnium ederet, quamobrem ei non parum  
 debemus, quoniam in causa fuerit, atque alijs iter præbue-  
 rit: ad nostram Historiam fusius scribendam calcar opti-  
 mum addendo: & hinc Clarissimis Venetis, qui de more  
 summos viros ac virtute illustris, benevolentia, beneficen-  
 tiaq. amplexantur, quam maxima, & euehunt, mirum in  
 modum carus, & inter alios Iacobo Antonio Marcello præ-  
 cipuo viro, & ea tunc de Republica Veneta benemerito,  
 cui dicauit partum illum, idest tres libros Historiæ Rauenna-  
 tis, complectens quæ ad originem & amplitudinem, ad va-  
 stationem, & instaurationem Vrbs nostræ facere sibi visa  
 sunt, eleganti stylo. Habuit in Vxorem Andream filiam  
 Masij Christiani Rauennatis, quæ familia Christianorum  
 nunc extincta est. Genuit autem Desiderius ex ipsa An-  
 drea Coniuge quattuor filios, qui fuerunt Vrbanus, Boni-  
 facius, Ioannes Baptista, & Hieronymus. Vrbanus Iuris-  
 consultus, post amplas dignitates adeptas, Vicariatus in  
 Patria pro Bartholomæo Rouerella Cardinale Archiepi-  
 scopo nostro officium præclarè gessit, eo demum in numero  
 summorum illorum virorum, qui vulgò Rotæ in Romana  
 Aula Auditores appellantur, delectus, morte præuentus,  
 minimè affecutus est: sed cum sequentes Ioannes Baptista,  
 etiam ipse iurisperitus, & Hieronymus Fratres, Latinæ,  
 Græcæq. peritus, euaserant, & ita quod post mortem eo-  
 rum patris, sæpe patriæ ornamento fuerint, cum tamen an-  
 tequam Desiderius ipse vitam cum morte commutaret, Bo-  
 nifacius, qui operam quoq. legibus apud Patavinos egre-  
 gie nauabat, vita fuisset functus, Ioanne Baptista, & Hie-  
 ronymo interea (vt in eorum apud me genealogia uidere  
 est) familiam propagantibus. Vixit Desiderius circiter  
 annos sexaginta, omnibus carus, præcipue Venetis ipsis,

in patria multum dilectus, & in filijs felicissimus, sicut ex hoc suo Hexastico, cognosci potest.

*Descripsi postquam celebris Monumenta Rauenna,  
 Et vidi Vrbanum patribus esse patrem,  
 Baptistamq. meum iuris callere medullas,  
 Hieronymum linqua currere utraque via,  
 Ad se quam primum cæli regnator, & orbis,  
 Hinc voluit celeri, me properare pede.*

F I N I S .

